



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

47.80.

CAROLI CLUSII

ET

ALIORUM EPISTOLAE.

CAROLI CLUSII ATREBATIS

AD

THOMAM REDIGERUM ET JOANNEM CRATONEM

EPISTOLAE;

ACCEDUNT

REMBERTI DODONAEI, ABRAHAMI ORTELII, GERARDI MERCATORIS
ET ARIAIE MONTANI AD EUNDEN CRATONEM EPISTOLAE.

edidit

P. S. X. de Ram,

S. THEOL. ET SC. CAR. DOCT., COLLEGII Hist. REG. BELGII SOCIVS.



BRUXELLIS,

EXCUDEBAT M. HAYEZ, REG. ACAD. TYPOGRAPHIUS.

—
1847.



L. S.

*Hasce virorum illustrium, qui saeculo XVI apud
Belgas floruerunt, epistolas ex codice viri clarissimi
JOANNIS FRANCISCI VAN DE VELDE, theologi Lovaniensis,
et ex nostra autographorum supellectil^r deprompsimus. Omnes vero descriptae sunt ad fidem autogra-
phorum, quae Vratislaviae in bibliotheca Elisabethana
adservantur. Ex illo rei literariae thesauro Clusii
quoque epistolas, Lipsiae editas anno 1830, hausit
Vir. Cl. Lud. CHRIST. TREVIRANUS in Academia Bon-
nensi professor.*

« Quam multa et quanta sint Caroli Clusii in rem
herbariam merita, inquit Treviranus, nulli profecto
in ea versato non perspectum est. Sive enim planta-
rum ab ipso detectarum copiam, sive iconum ligno

quamvis insculptarum fidem atque elegantiam, sive judicii in distinguendis speciebus acumen, sive denique spectes diligentiam in aperiendis Botanicorum orbi atque illustrandis Gallorum, Hispanorum et Lusitanorum scriptis ad herbarum scientiam facientibus, nulla sane dies debitas Clusio derogabit honores. » Clusii modestiam et animi candorem omnes merito praedicant; utinam praedicari quoque posset ipsius in religione constantia! Avitam quippe fidem deseruit, ex contracta cum Philippo Melanchtone aliisque consuetudine.

Clusii epistolae inscriptae sunt Thomae Redigero et Joanni Cratoni. « Fuit autem Thomas Redigerus (ut iterum Trevirani verbis utamur) e nobili familia, quae etiamnum in Silesia viget, oriundus. Vitebergae Melanchtonis et C. Peuceri doctrina in literis sacris et philosophia usus erat, quo facto Lutetiam petiit, Clusio commendatus, quocum deinde, ob motus Galliae intestinos, in Belgium contendit, ibique annorum aliquot moram fecit. Sedatis Galliae turbis, hanc iterum adiit, Clusio apud Belgas remanente; exinde vero in Italiam profectus est. Heic ubi annos aliquot in literarum studiis transegisset, denuo Belgium et Germaniae partem Rheno adjacentem salutavit, Coloniae tandem praematura morte extinctus, quum vix

annum aetatis trigesimum quintum ageret. Quanta doctrina cum praeclaro hoc viro perierit, satis superque docet apparatus literarius, quem sibi in itineribus hisce comparaverat, quique magnam constituit partem bibliothecae publicae a Redigeris nomen habentis, quae Vratislaviae in aedibus S. Elisabethae adservatur. Inter pretiosissima ejus cimelia, quorum pars adhucdum inedita latet, numeranda est collectio epistolarum a viris doctis scriptarum ad Thomam Redigerum et Joannem Cratonem a Craftheim, celebrem illum medicum caesareum, qui familiae Redigerianae amicitiae vinculo admodum fuit conjunctus. »

Ad eundem quoque Cratonem scriptae sunt Dodonaei, Ortelii, Mercatoris et Aiae Montani epistolae, apud quos non rara Clusii mentio occurrit. Ex epistolis illis omnibus innotescere multa quae ad horum virorum vitam pertinent, agnoscat quisquis eas sedulo legerit.



CAROLI CLUSII, ATREBATENSIS, EPISTOLAE.

I⁴.

*Virtute atque nobilitate praestanti domino Thomae
Redigero, domino suo observando, Lovanii.*

S. P. Heri et hodie Birckmanni officinam adii, ut de libris tuis sciscitarer; sed nondum allati sunt. Vas heri Francofordia acceperunt in quo plerique libri medici erant, aut Venetiis, aut Basileae, aut Coloniae excusi. Lugduno aut Lutetiae ne unus quidem liber Francofordiam allatus est per istas turbas. Geneva duo vasa missa sunt, quorum alterum Crispini lexica continebat; Birckmannus aliquot

¹ Viginti priores epistolae descriptae sunt ex autographis, quae vol. II epistolarum virorum illustrum in bibliotheca Elizabethana Vratislaviae continentur.

exemplaria emit ; quod vero mirum in modum aucta sint, ut nihil, quod ad eam linguam pertineat, praetermissum videatur, magno emuntur, siquidem exemplaria singula quatuor coronatis cum dimidio aestimant. Reliquos libros cum in ordinem nondum redegerint, eorum catalogum nancisci non potui ; sed polliciti sunt se Materno missuros eum, simul atque scriptus erit. Hodie post meridiem profactionem paro, quam precor Deus mihi fortunet. Germanorum exercitum jam abhinc duodecim dies Rhenum transiisse audio, et magnis itineribus ad Condaeum proficisci , ut sese cum ejus copiis jungat. Inter eos militant etiam quidam Antverpiani. Ter mille Hispani erant, quos Tolosam profectos esse audivisti ; magna pars eorum cum papistarum copiis concisa est a reginae Navarrai duce domino de Duras, reliqui Burdigalum fugerunt, multique vulnerati naviculis eo etiam vecti sunt. Ringravium cum suis copiis Biturigibus esse, constans hic rumor est; et Kockendolfius cum iis qui Guisio militarunt, infamis declaratus scripto a principibus Germanis , veluti vir qui adversus fidem datam se gesserit, et arma adversus imperium sumpserit; sed exemplar nullum nancisci potui, aliquin misissem. Tilmannus jam fere chlamidem absolverat cum ad eum veni, addet tamen fimbriam posteriori parti. Quod ad collare attinet, satis altum mibi videtur, atque etiam serico consarcinatum erat. Caroli Coquiel soror brevi nubet : existimo te invitatum iri. Adventus domini Joannis fratris tui in dies expectatur. His bene vale, mi domine Thoma, atque dominum Pensionarium¹ cum uxore

¹ Intelligit civitatis Lovaniensis pensionariorum Lievens, apud quem Thomas Redigerus domicilium suum habuit in domo sita in platea quae Cattorum dicitur, ut liquet ex ipsis epistolarum superscriptionibus.

(3)

et reliquis ex me saluta. Raptim Antverpiae prid. non.
octobris 1562.

Tibi addictissimus

CAROLUS CLUSIUS.

Maternus¹ ad te scribit ni fallor, et te uxoris suae et Caroli
nomine salutat. Jacobus mecum proficiscitur.

II.

*Nobilitate et virtute insigni domino Thomae Redigero,
Germano domino suo observando.*

S. P. Hodie post meridiem nihil aliud quam cursitavi
ad aedes domini cardinalis² ut ejus secretarium dominum
Vigilium convenirem, tum etiam ad domini Hopperi aedes,
ut illorum opera uterer, in impetrandis literis a cardinale
ad fratrem legatum; sed nihil effeci, quod affirmaret car-
dinalem aegre laturum, si quis pro re tantilla (ut aiebant)
illi molestiam afferret. Quam ob rem illis cum suo cardinale
valere jussis, cras mane iter institutum prosequemur,
et videbo Lutetiae, si amicorum opera nihil profutura sit
in hoc negotio. Heri Mechliniae quidam Germania veniens
aiebat, germanos milites adhuc haerere apud Treviros,
eorumque copias bis mille equites et totidem solpetarios
duntaxat continere. Hic aiunt regis Galliarum exercitum
Rhotomagum proficisci: praeterea nihil hic novi. Heri

¹ Matern Schuif, in de Keyser strate, Antwerpen, ut habent aliquae
epistolarum superscriptiones.

² Granvellani.

meridie cum jam accinctus essem itineri, Maternus mihi significavit eodem die vesperi se, cum uxore et Carolo invitatos a socero ad celebranda sponsalia alterius adhuc sororis Caroli, Carolumque ipsum quantum intelligere potui illorum exemplum brevi sequuturum. Itaque ex unis nuptiis non geminas, ut ille ait, futuras video, sed trinas. Brevi, opinor, Carolum ipsum apud te habebis: ex eo, si ante Maternus non scripserit, plenius omnia intelleges. Viae sunt admodum difficiles propter has pluvias. Reliquum est ut bene valeas, mi domine Redigere, atque dominum pensionarium cum uxore reliquisque contubernalibus meo nomine salutes, Bruxellis multa nocte nonis octobr. 1562.

Tibi addictissimus

CAROLUS CLUSIUS A.

III.

*Nobilitate et virtute insigni domino Thomae Redigero
Germano.*

S. P. Heri hora tertia huc appuli. Sub horam quartam de fratre Adriani quaesivi, sed ille aberat. Hodie rursus eo profectus sum ante meridiem, eumque reperi: sed ait, adolescentem eum, cuius tibi spem fecerat Adrianus, nunc mutasse sententiam, neque constituisse hac urbe egredi: alioqui non facile repertum iri qui magis commendabilis esset. Pollicitus est tamen se diligenter de alio inquisitum. Adrianus profectus est Montes, Hannoniae urbem, quæ decem miliaribus ab hac distat. Heri sub noctem huc

advenit Jacobus tabellarius, a fratre tuo domino Joanne Cameracum missus, ut canem Antverpiam reducat; hodie summo mane hinc discedit. Auriga hodie primum venit sub horam quintam vespertinam: et currum suum cras meridie, aut ad summum noctu expectat: ait omnia esse integra, nostrumque diploma plurimum profuisse in limitibus Galliae egredieundis: alioqui voluissent omnia perlustrare. Coactus est tamen illis diploma relinquere. Propter ejus moram diutius hic haerere cogor, quam cogitaram: sed tamen expectandum est, ut videam an omnia sint salva, ut ipse ait. Nam numerare non constitui donec omnia hic sint mihi redditum: nec facile alteri hanc provinciam traditurus sum. Bene vale, ac dominum pensionarium (quem hic videre non contigit) cum ejus uxore ex me saluta. Noctu, Bruxellis 5. cal. novembr. 1562.

Tuus semper,

C. Clusius A.

IV.

Virtute et nobilitate insigni D. Thomae Redigero, Lovanii.

S. P. Video quid sit, hic impurus nebulo me ludibrio habet: affirmarat supellectilem nostram die jovis sine dubio hic adfuturam; sed hodie primum expectatur. Nam eam reliquerat Montibus, interea heri Mechliniam profectus est, provinciamque dedit alteri, ut supellectilem nostram advehat. Tametsi autem hodie post meridiem acceptero, non video qua ratione possim eam curare Lovanium perferri ante diem lunae. Crastinus enim dies hic adeo solemnis est, ut piaculum existiment omnes, si quis tali

die profectionem instituat : attamen quod potero faciam.
 Molesta mihi est supra modum haec procrastinatio et
 mora : nec dubito , quin itidem sit tibi. Sed quid facias ?
 Cum nebulonibus nobis est res. Die veneris noctu prolatus
 est hoc rumor constans, Rotomagum occupatum a copiis
 regiis, urbemque direptam esse, omneque genus crudelitatis
 in ea exercuisse milites, nulli sexui, nulli aetati parcitum
 esse ; non a gravidis mulieribus manus abstinuisse. Ea ta-
 metsi ad principem Aurengium certo perlata dicerentur;
 Dux tamen et gubernatrix et ipse cardinalis nullas literas
 acceperunt, neque ipse nuncius Párisiensis qui hodie ve-
 nit, quidquam bujus modi audivit. Itaque nunc evanuit
 iste rumor, neque illo vanius quidquam fuisse appareat;
 De caeteris Dom. pensionarius certiore te faciet : ab eo
 intellexi Adrianum Lovanii esse, obviamque illi factum esse
 die martis cum hoc veniret : persuaserat tamen ille fratri
 se Montes proficisci : quorsum haec, nisi ut ea, quam nosti
 libere per absentiam viri fruatur. Sed de his satis. Bene vale
 ac nostram hospitam cum fratre ex me saluta , ipsumque
 Adrianum, si adsit. Bruxellis pridie cal. novembr. 1562.

Tuus semper

CAROLIUS CLUSIUS A.

V.

*Nobilitate generis et eruditio[n]e[!] praestanti D. Thomae
 Reitigero[!] D[omi]ni suo[!] observando[!]*

S. P. Circiter horam decimam Birckmanni famulus,
Witichindi historiam, et alterum illum de dictis fac-

tisque Alphonsi regis attulit, quos cum aliis duobus in fasciculum compactos tabellario deditus, ad te perferendos, ornatiss. D. Thoma.

Tametsi autem in tam exiguo temporis spatio nihil hic dignum significatum sit, quo certiore te faceremus, quin illud ante ipse audiveris, officii tamen esse mei putavi, his, gratias tibi quam maximas agere pro eo, quo me donasti munere, nihil habens quod referam, nisi promptam obsequii oblationem et gratiam animi erga te mei voluntatem. Hoc enim tibi persuadeas, velim, me et tibi et universae vestrae familiae perpetuo deditissimum fore. Cum itaque non soleam esse admodum verbosus, his finem imponam Deum opt. max. orans, ut te quam divitissime servet in columem, tuosque conatus omnes fortunare sua benignitate dignetur. Antverpiae idibus Augusti 1563.

Tibi deditiss.

CAROLUS CLUSIUS A.

Salutabis, si lubet, meo nomine D. Machtium cum pension. et uxore et Tamison, si isthic sit.

Rogatum etiam te velim mi D. Thoma pro ea familiaritatē quae mihi hactenus tecum fuit, ut si quae forsitan literae a patre aut alio isthic reddantur, eas ad Maternum curare ne pigateat.

VI.

*Nobilitate generis et virtute praedito D. Thomae Redigero
D. suo perpetuo observando, Bruxellae.*

S. P. Mitto famulum cum equis, mi D. Redigere, ut

D. Machtius ad me perscripserat tuo jussu. Eum jussi gradatim ad vos proficisci, ne equi aestu et itinere fatigentur. Nihil hic rerum novarum est : heri sub horam decimam ante meridiem sumptum est supplicium de latronibus qui in carcere asservabantur : tres fuere suspensi, quartus capite plexus; mulier evasit libera precibus matris praetoris, tametsi omnes fateantur eam primariam causam fuisse, cur maritus pependerit, et certum sit, alios ante hunc eam habuisse maritos, de quibus etiam sumptum sit supplicium tanquam de praedonibus, quorum mortis ipsam non postremam fuisse occasionem omnes arbitrantur. Hic omnia salva Dei gratia. Bene vale mi D. Redigere, ac vestram profectionem Deus fortunare ad extremum dignetur. Lovanii pridie cal Aug. 1563.

F. T. CAROLUS CLUSIUS A.

Salutat vos DD. pensionarius et Tamison cum nostra. D. Machtium meo nomine salutes rogatum te velim.

VII.

Nobilitate generis et virtute praeclaro viro domino Thomae Redigero patricio Vratisla. Domino suo observando, Antwerpiae.

S. P. Heri Coloniam pervenimus incolumes Dei beneficio. Hodie cum Bircmanno egi de quibus mihi provinciam derdas. *Epitomen philosophiae* tibi mittere pollicitus est cum hac epistola. D. Laurentium Sisanum, Sturmii consobrinum, juris U. D., graecae linguae admodum peritum, quique in Gallia aliquot annis et in Italia vixit, conveni.

Fuit aliquando praefectus studiis Joannis et Marci Fuggerorum, filiorum Antonii. Vir est procerus firmis lateribus, quadragenarius, ut conjicere licet ex facie; denique in omnibus probatur ab iis, qui illius mentionem apud me fecerunt, unico excepto, quod poculis satis addictus esse feratur. Vides quam nihil te latere velim, mihi D. Redigere, qui tam exquisite omnia expiscatus sim. Si quid de illo intelligere voles, a Bircmannis petere licebit. Nunc per temporis angustiam plura scribere non possum, nam negotia ita sunt mibi disponenda, tanquam cras summo mane discessuro et aliquot hebdomadas per has regiones obequitatuero. Itaque dabis veniam, si inepte et minus scite hanc epistolam exararim. Salutabis, si lubet, D. Maternum et Pensionarium cum eorum uxoribus. Multa nocte et raptim, Coloniae 6. cal. septembr. 1563.

Tui studiosissimus,

CAROLUS CLUSIUS A.

VIII.

*Nobili, virtute ac eruditione praestanti, viro domino
Thomae Redigero Domino suo plurimum observando,
Biturigibus.*

S. P. Quod serius ad tuas respondeam, generose Redigere, velim ne negligentia, aut tui oblivione factum existimes. Sed cum ante trimestre in Flandriam evocatus essem, quo sine mora proficiscendum fuit, non potui omnibus amicis vale dicere. Itaque factum est, ut dominus Maternus, qui ubinam delitescerem ignorabat, tuas ad Fuggerorum aedes curaverit: quas sane nondum, credo, accepis-

sem (tanta est in illis scilicet diligentia) nisi commodum
hodie Maternum convenissem (nam huc negotia quaedam
me revocarunt) qui significavit de literis. Eas vero dicere
non possum quam libens legerim, cum ob elegantiam,
tum quod tui erga me amoris testes sint locupletissimae.
Quem sane pro mea virili sedulo alere ac conservare stu-
debo. *Epidotus Clenardi* proximis nundinis Francofor-
tensis spero habebimus : siquidem privilegium impe-
travit Christ. Plantinus, quas post natalicias ferias praece-
committit constituit. Existimo hac editione aliquid nos
acturos, et eos, qui Clenardico nomini student, excitatu-
ros ad ea edenda, quae forsitan apud eos delitescunt, Cle-
nardi. Ego paucos ante dies rursus Vasaeum, ejus filium¹,
ad quem magna ex parte scriptae sunt, quas edituri sumus,
commonefeci atque etiam oravi, ut si quid Clenardi ha-
beat (ut profecto habet) id posteritati ne invideat ; sed
quantum potest Clenardi nomen a tenebris vindicare co-
netur. Vir est admodum candidus et eruditus : quare facile
mihi persuadeo eum pro suo candore communicaturum
orbi Clenardi opuscula quae apud eum sunt. Hic caritas
annonae multa turbulenta consilia excitavit. Nonnulli ad-
dunt regem Philippum proxima aestate huc venturum
cujus profecto adventus multorum judicio magnas turbas
dabit. Gratum fuit quod de Condaci conjugio intellexi,
etenim cum ex Hispaniis reverterer, intellexeram ambivisse
illum ducis Guisii filiam, quod matrimonium non sine
multorum offensa contractum fuisse, nec sine caede for-
sitan celebratae nuptiae. Cum hac vero contractum-matri-
monium non poterit non piis omnibus placere. Nam ta-
metsi princeps Longevillanus (quem sponsae fratrem esse

¹ De Joanne Vasaeo, vid. *Biblioth. Belg.*, tom. II, p. 743.

(11)

arbitror) adversus Condæum arma sumpserit, pium tamen virum semper esse intellexi, et satis probe institutum, quippe cuius mater sit domina de Novo Castro, quod aliquot passuum millibus Lausanna tantum abest, in quo Farellus perpetuo ἐπισκοπόν egit. Turcarum imperatorem ferunt magnam et validam classem comparasse in proximum ver. Deus optimus maximus ejus consilia et conatus ad sui nominis gloriam et ad christianismi salutem retundat. Bene vale, generose Redigere. Antveriae (Brugas cras redditurus; ubi quod superest hyemis, agere constitui)
16 decembris 1565.

Tui studiosissimus,

CAROLUS CLUSIUS A.

IX.

*Nobilitate, virtute et eruditione praestanti viro domino
Thomae Redigero domino suo perpetuo observando, Bi-
turi gibis.*

S. P. D. Exemplar *Epistolarum Clenardi*, quas ex Hispaniis attali, generose Redigere, nunc primum absolvit Plantini amanuensis: in quo sane describendo justo tardior fuit, quippe qui trimestri et eo amplius in hoc occupatus sit: illud nunc restat, ut Plantinus visitatori, quem vocant, exemplar tradat perlegendum, quod, si ejus permissu licuerit, deinde excudat. Sin forte visitator, ob locos quosdam, earum epistolarum publicationem permittere nolit, exemplarque apud se retineat, autographum quod apud me habeo, nobis erit visui, ut alio de-

scripto exemplari , aut in Gallia , aut in Germania , id excudi curemus . Siquidem vereor , ne difficiles se praebant theologi in publicationis permissione , quod alibi dicat : monachum esse hypocriseos domicilium ; atque quadam epistola , monachum novarum semper rerum domicilium , et interdum ludat in canonicorum sardanapalorum delicias . Nostri enim ejusmodi hominum mores , qui aegerime ferunt ulcera sibi perficari . Enitemur tamen sedulo ne diutius lateant , atque lectorem admonebimus , ne , si forte in alias hujusmodi epistolas Clenardi inciderit , nondum typis expressas (quandoquidem , ut ipse plerisque locis refert , alias multas ad amicos in Hispania scripsit) eas literarum candidatis invideat . Rerum novarum nihil hic habemus , nisi quod plerique recens creati episcopi nobilitatem offendere non desinunt , et praeclaram illam suam synodus Cameracensem , invitatis etiam civitatibus , quodammodo obtrudere volunt ; verum in Hispania non sumus . Avide hic leguntur libelli , qui familiae Guysiacaे fraudes et technas ambitionemque detegunt . Ut Granvelanus totum se ad exemplar vitae cardinalis Lotharingici composuisse videtur , ita forte eadem ratione scriptores nanciscetur qui illum suis depingant coloribus . Melitenses Turcarum obsidionem adhuc constanter perferunt : sed verendum est ne serius subsidia mittantur . Boisot Mechliniensis , qui uxoris Materni sororem conjugem habebat , ante paucos dies sublatus est phthisi . Bene vale , ornatisime Redingere , atque me in numero tuorum habere perge . Antverpiae , ad 18 sept . 65 .

Tuus semper

CAROLUS CLUSIUS A.

X.

Generoso viro domino Thoma Redigero domino suo plurimum observando, Valentiae Alobrogum.

S. P. Negligentiam atque meam ingratitudinem sat scio accusabis, generose Redigere, quod pro tam lerido munere, ne epistola quidem tibi gratias egerim. Verum cum causas cognosces, cur minus id praestiterim, existimo culpae, quam agnosco, partem me deprecatum iri. In mediis nostris motibus vulnus in crure dextro accepi, summa cum contusione; imo parum absfuit, quin confractum fuerit crus. Vulnus gravissima subsecuta sunt συμπτόματα, et ingentes dolores, qui me lectulo ita affixerunt, ut toto fere trimestri cubiculo non sim egressus. Triduo postquam vulnus accepi, misit ad me Maternus perelegans horologium, quo munere nihil gratius mihi esse potuit, atque gratum mihi fuisse libenter testatus fuisse, si tantillum dolores remisissent. Curato vulnere, saltem ad cicatricem perducto, statim ineunda mihi fuerunt per hanc regionem itinera, quae omnem ad te scribendi, aut epistolula aliqua gratitudinem animi testificandi, occasionem ademerunt. At postquam hic redii, prima cura fuit ut has ad te exararem, quibus negligentiae culpam deprecarer. Erit vero tuum munus, pro quo tibi quam possum maximas gratias ago, apud me tuae in me liberalitatis et benevolentiae perpetuum testimonium. Verum gratissimum id mihi fuisse malim re ipsa declarare, quam levi epistola significare.

Literas ante triduum a domino Cratone accepi , quibus mihi significat cladem nobis a Turca illatam , quam jam dudum audiveramus , et generosum fratrem tuum dominum Joannem consiliarii Caesarei in Bohemica aula munere honoratum esse . Gratulor certe illi eum honorem , cum majore dignus sit , atque non dubito , quin aliquando etiam te in summo dignitatis gradu constitutum videamus , velut tua virtus meretur . Quod ut brevi faxit Deus optimus maximus , eum toto pectore oro , atque ut diutissime incolumem conservet precor . De nostris motibus quid sperandum sit non video . Regis adventus multis formidini est . Verum ante proximum ver , tametsi plerique contra sentiant , eum non venturum certissime scio . Interea aliquid boni fiet spero . Nam credendum est Deum tam ingenti bono has regiones non donasse , ut statim id eis adimat . Itaque nostri est officii agnoscere hoc ingens Dei beneficium alque eum comprecari , ut liberam Evangelii filii sui Jesu Christi Domini nostri vocem nobis conservet . Bene vale , generose Redigere , atque me , ut facis , amare perge . Brugis Flandrorum , III cal . decembr . MDLXVI .

Tui studiosus,

CAROLUS CLUSIUS A.

Utinam tibi in hoc Allobrogico itinere fuisse comes , ob antiquitatem et variarum plantarum observationes , quibus me maxime delectari nosti . Inveniuntur non procul Lugduno , atque forte etiam proximis Valentiae Montibus aetites lapides , sunt ii nucis juglandis magnitudine plerumque , interdum majores aut minores , rotundi aut plani , atque ii praegnantes ; agitati enim alium lapillum continere deprehenduntur ; Galli *Pierres d'aigle* vocant . Si tales atque alios hujusmodi miraculosos lapillos nancisceris , rogam te velim , ut mei memineris : sum enim omnium naturae miraculorum studiosissimus .

XI.

Generoso viro domino Thomae Redigero domino suo plurimum observando, Patavii.

Non dubium est, generose Redigere, quin magnum acceperis vulnus duplici illo nuncio de morte amplissimi viri domini Joannis Morenbergii, tui avunculi, et generosi domini Joannis fratris tibi conjunctissimi. Sed fratris mortem magis te urgere arbitror, cum videas illum in medio aetatis flore, mediisque quibus perfunctus est honoribus, tibi ademptum. Consolatoria uterer, nisi te sic instructum cum praeceptis christianis scirem, tum philosophicis, ut alterius consolatione non egeas, aut si mihi ipsi cum ob privatum tum publicum luctum consolatione opus haud esset. Patruum enim amisi septuagenarium. in his nostris motibus ob assertionem purioris doctrinae. Nec satis fuit sanguinariis hominibus, virum de sua republica praeclare meritum publico suppicio afficere, nisi insuper omnibus facultatibus ejus familiam spoliarent. Status vero harum regionum eo est loco ut pejori esse non possit, hoc est perditissimus. Sed quid opus est nunc querelis, cum iis magis exacerbetur dolor? Certe his tibi molestus non fuisset, nisi vis quaedam mei erga te amoris tibi indoluisse, et mei luctus partem communicasse coëgisset. At Deus optimus maximus qui vera consolatione nostros luctus lenire, et praesentibus malis solus eripere nos potest, tuas peregrinationes fortunare dignetur. Bene ac feliciter

(16)

vale, generose Redigere, nam animi mei perturbatio de caeteris scribere non sinit. Brugis Flandrorum , 14 aprilis 1567.

Tui studiosissimus,

CAROLUS CLUSIUS A.

XII.

*Generoso domino, domino Thomaे Redigero, domino suo
perpetuo observando, Patavii.*

S. P. Cum proxime intelligerem a Materno vestro, generose Redigere, Gallia relicta, Italiam (cujus videndae occasio nunquam mibi data fuit) te adiisse, quantum eo nuncio sim delectatus, satis exprimere non possim. Etenim videbam florentissima illa provincia, atque omni antiquitate abundantissima perlustrata, nihil ad tuas peregrinationes accedere posse, quod magnopere expetendum esset. Hispaniam enim illis peragrandam relinquo, quibus miseriae et calamitates cordi sunt (ut ex Glenardi epistolis colligere potuisti, et tibi oculatus testis esse possem) aut illis saltem qui rei herbariae studio delectantur, quique ut aliquid novi in eo studio observent, nullos non labores tolerare queunt. Itaque illum diem videre videor, quo ex Italia in patriam celebris vario doctrinae et linguarum genere, et diversarum nationum moribus observatis, prudenteris revertaris.

Caeterum cum Patavii te aliquanto tempore haesurum audivi, facere non potui quin has ad te exararem, illisque

conjungerem, brevem epistolam ad Clarias. virum Jacobum Antonium Cortusum, patricium Patavinum, summum philosophum, cui quantum orbis debeat, *Matthioli* doctissimae lucubrationes testantur, ut taceant ejus eruditissima opera, quae immortale illi nomen parient. Praecipua vero ad eum nunc scribendi occasio est (nam aliquoties ad eum aliis scripsi, adeoque amicitia inter absentes, nec unquam sibi invicem conspectos, abhinc anno contracta est), ut illius amiciliam (si forte tibi ea cordi est) tibi conciliem; quam existimo haudquaquam indecorem futuram. Est praeterea Patavii eruditissimus vir, atque in stirpium cognitione excellens *Guilandinus Borussus*, cui Patavini horti cura commissa est. Ab eo si fieri posset, rariorum aliquot plantarum semina impetrare velim, quod facile te effecturum confido. Nam tametsi mediis in turbaram fluctibus versemur, animus tamen ab rei herbariae studio (quo unice delectatum me semper novisti) feriari non potest.

Porro si qua in re mea opella tibi usui esse possit, eam tibi defero cum omni exceptione. Bene vale, generose Redigero. Brugis, calendis martii MDLXVII.

Tibi addictissimus,

CAROLUS CLUSIUS A.

XIII.

Generoso viro domino Thoma Redigero, domino suo perpetuo observando, Patavii.

S. P. Gavisus sum plurimum, generose Redigere, cum a Materno intellexi, relicta Bononia, Patavium te rediisse.

Nam tametsi multa sint quae philosophiae et excellentium rerum studiosos istic detinere possint, tamen Patavium his rebus Bononiam longe superare intellexi, cum istic sit magna doctissimorum frequentia, cum quibus majore cum voluptate atque etiam liberos sermones conferre possis. Beatam sane judico Italiam, quae his aerumnis, quas quotidie experimur, libera est. Quod si per negotia licuisse, aliquo sane concessissem, ne miserrimum patriae meae statum videre cogerer, qui fuit olim florentissimus. Nunc cum non licet, praesenti fortuna utor, et publicis functionibus abstineo, ut, quantum per privata negotia datum mihi est, studiis meis acquiescam, quae miraculorum naturae admiratoribus tota consecravi. Quam ob rem te rogo, ut si hac in parte ea juvare poteris, operam tuam praestare ne pigeat. Quae vero peto, aut semina sunt riorum plantarum, aut bulbi, aut lapilli impressionem aliquam habentes, quales sunt, qui rem aliquam animaliem representant, aut ab animalibus nomen sortiuntur ut aelites etc. Si quid sit vicissim, in quo mea opella usui esse possit, eam cum omni studio industria et diligentia et sine ulla exceptione tibi defero. Bene ac feliciter vale, generose Redigere, et dominum Jacobum Antonium Cortusum (si tibi forte cum eo familiaritas intercessit) meo nomine salutes quaeso. Mechliniae, kalend. octobris MDLXVII.

Tui studiosiss.

CAROLUS CLUSIUS A.

Inter bulbos Tulipae, si nancisceris, erunt gratissimi.

XIV.

*Natalibus, virtute et eruditione clarissimo viro domino
Thomae Redigero, domino mihi plurissimum observando.*

Antverpiam.

S. P. Dum vetera mea numismata diligentius revollo, generose Redigere, inveni aliquot ejusdem cunei, ejusdemque formae, quorum nonnulla integra sunt, alia characteribus oblitteratis. Cogitabam ea, qualiacunque essent, dum ad nos venturus essem, ipse dare: sed quoniam video adventum tuum expectationem meam frustratum esse, huic tabellario ea tradidi ad te preferenda, existimans (quoniam omni antiquitate delectaris) boni ea consultrum. His addidi semina aliquot nobis, aut in horto collecta, aut ab amicis accepta, quoniam memini, cum Antverpiae essem, dominum dixisse, fratrem ejus herbis peregrinis delectari. Doleo plurimum, aliud nihil me habere in quo dominationi tuae gratificari possim. Bene vale, generose Redigere, ac me in tuorum numero habere perge. Oratum velim D. F. Maternum cum uxore, et dominum Neodicum ex me salutes.

T. D. observantissimus,

CAROLUS CLUSIUS A.

Augusti 1. M. Agrippae 1. Neronis 1. Domitianus 1. Traiani 1.
Hadriani 1. Antonini Pil 1. Faustinae Matris 1. M. Aurelii 2. J.
Severi Alexandri 1. Constantini Magni 2.

XV.

*Natalibus, virtute et eruditione clarissimo viro domino
Thomae Redigero, domino mihi perpetuo observando.*

Antverpiam.

S. P. Mensam cedriam cum libris nunc ad te mitto, generose Redigere, per nautam Mechliniensem, cum incommode curru transmitti possent. Boni consules munusculum hoc literarium, a Clusio, tui studiosissimo, profectum; utinam preciosiora haberem, quibus animi erga te mei propensionem declarare possem. De Stopii morte plurimum doleo, tui causa, ad quem scio diligentissime omnia solere prescribi, praesertim cum neminem istuc facile reperiri putem, cui tam fideliter talis provincia mandari possit. Fertur hic regem Hispaniarum quatuor millia Hispanorum in Galli subsidium mittere ex ipsis Hispaniis, quod mibi verisimile non videtur, cum ipse rex Hisp. milite egeat, nec videatur facile sine extero milite Mauritanos expugnare posse. Proxima aestas nos docebit, quid de universalibus istis tumultibus sperare possimus. Hispani bis diebus larvali et equites per universam urbem discurrerunt, nec proximo die dominico quieturos puto. Bene vale, generose Redigere, ac me in tuorum numero habere perge. Domino Neodico quaeso ex me salutes. Mechliniae IIII idus februarii MDLXX.

T. D. observantiss.

CAROLUS CLUSIUS.

XVI.

*Nobilitate, virtute, atque eruditione clarissimo viro Tho-
mae Redigero, domino ac Maecenati perpetuo observando.*

Antverpiam.

S. P. Libellum unum atque alterum cum aliquot sche-
dis, generose Domine Redigere, libros meos educens, in-
veni, quos Dominationi tuae ingratos non futuros existimo.
Utinam majoribus in rebus gratificari T. D. possim. Ve-
rum id fieri cum Deo opt. max. libebit, quem oro, ut D. T.
diu servet incolumem atque illius peregrinationem for-
tunet. Domino Neodico, Materno ejus uxori atque Falken-
burgio nostro, ex me salutes quaeso. Mechliniae, x cal.
Maii MDLXX.

T. Dominationi deditiss.

CAROLUS CLUSIUS A.

XVII.

*Natalibus, virtute et eruditione clarissimo viro, Domino
Thomae Redigero, Maecenati suo semper observando.*

Antverpiam.

Superioribus diebus, generose Redigere, nactus sum li-
bros quosdam, inter quos *Spectaculorum in succeptione*
Philippi Hisp. Prince. anno 1549 Antverpias edito-
rum descriptionem inveni. Hunc T. D. destinavi, cui

addam et obsoletos quosdam, si D. T. volet, quos non puto passim reperiri, nempe : *Legendam sanctorum*, seu *Historiam lombardicam*, et *Catalogum sanctorum et gestorum eorundem*, illam quidem ante centum annos excusam, catalogum vero ante quinquaginta. D. T. mihi significabit, quando volet, eos mittam ; insuper eam rogatam velim, mihi significet an Dominum Cralonem adhuc Pragae futurum putet. Bene vale, generose Redigere, atque nisi molestum fuerit domino Neodico, Materno, ejus uxori et Falkenburgio ex me salutes. Mechliniae VIII, id. aprilis LXX.

T. D. studiosiss.

Carolus Clusius.

XVIII.

Natalibus, virtute et eruditione clarissimo viro domino Thome Redigero, Maecenati suo perpetuo servando.

S. P. Si possem gratiam¹ referre pro tua ista magnifica liberalitate, generose domine Redigere, profecto facerem : quod vero solum relictum est, gratias quam maximas habeo, animi gratitudinem, si quando dabitur occasio, re ipsa declaraturus. Inveni in mea supellectile antiquas duas (tametsi rudes) exiguae statuas, tertiam ex plumbo imitatam quae Pluti videtur, istas, cum aliud ad manum non esset, T. Dominationi mitto, quibus adjeci Hadriani imp. egregium et rarum numisma antiquum, Lisimachi alterum, Alexandri, ut putant, tertium, utrumque imitatum videatur; tuae Dominationi erit qualecumque banc animi grati demonstrationem boni consulere. Tamesti vero multis no-

¹ *Gratiora?*

minibus tuae Dominationi sim obstrictus, cogit me necessitas, pudoris limites transgredi et frontem praeter naturae meae inclinationem perfricare. Haec autem est occasio. Praeter eas calamitates, quae his tumultibus nostram familiam perculerunt, sequutum est ante aliquot menses hoc incommodum, ut parens meus senex, fere octogenarius, omnibus facultatibus exulus sit, ob conciones ex regis (ut persuasum habebat) permissu libere aditas. Contulerat ille in me, paulo post meum ex Hispaniis redditum feudi cuiusdam, nam ab ejus morte ad me perventurum erat dominium, quo me aliqua ex parte honeste sustentare possem. Non potui facere, ejus infortunium miseratus, quin illius, quod in me contulerat, feudi redditus, eum percepere, sinerem, impie me facturum statuens, si contra facerem. Itaque cum nunc non suppetat, quo me alere possim, nec cuilibet meam egestatem cognitam esse velim, imo ne ipse quidem Domino Brancioni, viro mihi amicissimo, ob eas, quas tua Dominatio facile suspicari potest, causas, supplex ad munificentiam tua Dominationis refugio, illam orans, hanc meam egestatem, aliquo in unum aut alterum annum stipendio, sublevare dignetur, donec me Deus benigno suo oculo respiciat : insuper obsecro, ne meam hanc impudentiam iniquo animo ferat, quam urgens necessitas mihi excussit. Meum erit Deum opt. max. orare tuae Dominationi non modo in hac peregrinatione, sed semper fortunet, et mihi aliquando facultatem tribuat, animi gratitudinem erga tuam Dominationem demonstrandi. Bene vale, generose domine Redigere, ac domino Neodico, Maternoque si redierit, ejusque uxori ex me quaeso salutes.

T. D. addictiss.

CAROLUS CLUSIUS.

XIX.

*Generoso D. D. Thomae Redigero, Domino ac Maecenati
suo perpetuo observando.*

Coloniam.

Tuae Dominationi qualemcumque mei erga eam animi demonstrationem probari, generose D. Redigere, gratissimum fuit, intelligere. Utinam fortuna ita tulisset, praeclarioribus in rebus, ingeniali mei vires exercere datum esset, et aliquid meditari, quod, si non T. D. dignum, at amplum saltem erga eam observantiae mea testimonium esse queat. Facil T. D. pro ingenita sua benignitate et candore, quae meas nugas boni consulat. Sribit ad me D. Neodicus, D. Maternum, ex T. D. voluntate, quinquaginta taleros mihi numeraturum. Certe non video quibus officiis unquam ingentem istam tuam in me liberalitatem demereri possim, nisi perpetua fide atque erga T. D. observantia. Unum, quod licet, nunc facio : immensas ago gratias pro tam liberali munere : et Deum op. max. oro, D. T. perpetuo servet incolumem, mihiique facultatem tribuat, munus istud aliqua saltem animi gratitudine demereri. Mechliniae Id. martias MDLXXI.

T. D. observantiss.

CAROLUS CLUSIUS.

XX.

*Generoso D. D. Thomae Redigero, Maecenati suo perpetuo
observando.*

Coloniam.

Constitueram superiore anno calendis januariis munus-

culum hoc D. T. offerre, generose Redigere; sed sculptorum tarditas, deinde eorum, a quibus impetranda sunt privilegia, morositas in causa fuere, quo minus voto meo satisfacere potuerim. Postquam privilegium oblinuit *Abrahamus Ortelius* noster, exemplar ad me misit, quod emendatum (nam nonnullos errores in orthographia a sculptoribus admissos deprehendi) ad T. D. nunc mitto, eamque oro, ut qualecumque hoc meae erga illam observationis testimonium boni consulat, in suorumque numero habere perget. Deum opt. max. orans ut T. D. diu servet incolumem, et ex animi voto illi feliciter omnia succedant. Mechliniae nonis febr. MDLXXI.

T. D. observantiss.

CAROLUS CLUSIUS.

XXI¹.

*Clarissimo viro, D. doctori Joanni Cratoni a Craftheim,
S. C. Majestatis Medico primario et consiliario intimo,
D. suo plurim. observando.*

Wratislaviae.

S. Grata fuisse quae misi semina, libenter intellexi; faxit Deus, ut non modo illorum, sed et aliorum quae ipso volente missurus sum, flores diu et sanus conspicere possis. Meam fortunam aequo animo fero, et omnem eventum Dei voluntati permitto. Iniquius sane ferrem, nisi proxi-

¹ Haec epistola XXI et tres sequentes descriptae sunt ex autographis, quae tom. VIII Epistolarum ad Joannem Cratonem scriptarum collegit anno 1632 Andreas Sanstleben.

man assistem jam ab initio hic haerere constituisse, reliquorum istorum jugorum perlustrandorum gratia, ut absolutiores meae observationes in lucem prodire possint. Recutitus jam ante xx dies Pragam accersitus est ab Augusta Caesaris matre. Est etiam accersitus D. Julius qui xxx januarii Tridente discessit: eum Pragae nunc esse arbitror. D. Dodonaeo salutem dixi. Stipendii solutio eum hio adhuc detinet admodum invitum. Coloniae per aliquod tempus haesurum eum puto. De pecunia admonitus, Althunium Praesidem adii: negavit ille aut sibi aut mihi eam esse allatam; sed distributam esse inter Caesaris officarios, ad necessaria in victimum ipsius quotidianum coemenda. Jam multis supplicibus libellis Caesari molestus fui: nihil tamen efficio. Nisi a mercatoribus pecunias magno meo incommodo acciperem in quotidianum usum, et apud D. Aicholzium viverem, cui jam anni unius et aliquot mensium expensas et habitationis pretium debeo, subsistere non possem. Postquam opera nostri D. Langueti¹, amicitia inter nos contracta est, eam semper sanctissime et cum ea quam debedo observantia colui, semperque colam: hoc tibi certissime persuadeas velim. Itaque si qua in re gratificari potero, admonitus, re ipsa experieris me verum dicere. Cum hinc discēdam, dispiciam qua ratione mutuis literarum officiis commodius uti possimus. Bibliopola Gallus Francofurto rediit, nullas tamen a D. Langueto attulit: ait eum periculosissime laborasse et cogitare de deserendo Francofurto: Argentoratum velle proficisci, ut sit vicinior patriae. Basilaea mihi magis arrideret, sed forte suas habet rationes cur Argentinam Basileae praeferat.

¹ Hubertus Languetus, jurisconsultus celeberrimus, qui apud Augustum Saxonie et Joannem Casimirum Palatinum Electorem, aliosque principes legati munere suuctus est.

Mosci legatus hic adhuc est : cur hoc venerit adhuc ne-
cimus. Superiore mense literas ab Ungnadio Constantino-
poli accepi. Kal. januarii successor ejus eo appulit. Cogitur
lamen Ungnadius ad aprilem usque mensem istic haerere,
ut illum aliquantulum instruat. Scribit Persam occubuisse;
plerique beneficio sororis ipsius, a Turcarum imperatore
corruptae, sublatum praedicant; nam ipsi Turcae erat ad-
modum formidabilis. Rex Hispaniae per legatum suum
urget pacem cum Turcarum tyranno, ut omnes videlicet
viro in Belgium convertere possit. Deus pro sua clemen-
tia nos conservet. Bene et feliciter vale Clariss. D. Crato,
et salutem meo nomine D. Joanni filio dulcissimo DD.
Scharfio et Monavio quaeso dico. Resalutat Dodonaeus,
et Aicholtzius salutem adscribi jussit. Viennae IIII. Idus
febr. M.D.LXXVIII.

Tui observantiss.

CAROLUS GLUSIUS.

XXII.

*Clarissimo viro, domino D. Joanni Cratoni a Craftheim,
S. C. Majestatis archiatro et consiliario fidelissimo, do-
mino suo plurimum observando.*

Vratialviam.

S. P. Pollicitus erat paulo ante suum discessum Caesar,
curaturum se, ut stipendia brevi acciperem : abiit, nihil
effectum est. Et cum plerisque sit aliquid numeratum,
nulla mei habita est ratio. Dodonaeus trecentos accepit,
reliquum à Grayo certo tempore habebit : excurrerunt ip-
sius stipendia usque ad solutionem. XI bujus mensis cum

familia discessit, Deus illius iter fortunet. Caesarem aiunt brevi reversurum. Proxima tamen hebdomada Posonium cogito, ut experiar an istic aliquid impetrare possim. Illud dolore me afficit, plurimum temporis mihi elabi in istorum hominum observatione, et perire, quod in mearum observationum descriptione impendere maluissem. De Ortelio nihil audivi, existimabam Antverpiae esse: sed quandoquidem in Italia esse arbitraris, tuas ad D. Pinellum mittam, ut eas curet. Neminem etenim istic habeo cui tutius aut melius eas credere possim. Evanuit ille rumor de Neapolitanis motibus: ultinam veri fuissent, spes esset nostris commoditatem aliquam allatuos, tametsi rex omnia cum ordinibus simulate agat, quod nunc suo magno malo agnoscat necesse est, nisi sensu communi omnino careant. Necessitas tandem coget illos veternum excutere, et serio sana consilia amplecti, nisi prorsus perire malint. Deus illis sanam mentem tribuat, et ab immani Hispanorum tyrannide liberet.

Quae de Plantino adscribis, satis mirari non possem: ipsius ingenium novi, modestum et ab omni maledicentia alienum. Si quid simile in mercatu dictum est, ab ejus genere potius profectum suspicor, quam ab ipso Plantino, quem superiore mercatu Francoforti non fuisse arbitror: cuin infirmae ipsius vires longorum itinerum molestias amplius tolerare non possint. Quicunque tamen ille fuerit, qui id dixerit, sive ipse, sive ejus gener, inciviliter profecto egit, ne dicam arroganter et injuriouse. Bene et feliciter vale, clariss. D. Crato cum tuis, quibus plurimum salutem et D. Monavio, meo nomine dictam velim. Vienae xv martii MDLXXVIII.

Tui observantiss.

CAR. CLUSIUS.

XXIII.

*Clarissimo viro domino Joanni Cratoni medico Caesareo,
domino plurimum mihi observando.*

Viennam.

S. D. Thomae Redigeri ex Italia redditus, Antverpiam me, prius quam constitueram, evocavit: etenim statueram primum januario huc venire, et Plantino meas lucubratiunculas dare excudendas, quas prius absolvere non potui, ob privata quaedam negotia et animi perturbationes, quae me transversum egerunt: sed nec his adhuc exsolutus sum. Gratissimus fuit D. Redigeri aspectus, et incolumem eum rediisse ex animo gaudeo, nam illi sane *ex animo* bene volo. Lapillos per occasionem mittere poteris: nolo enim tibi molestus esse, ea de re, quemadmodum nec de tulipis nisi nactus fueris commodam occasionem. Nimio sane mihi emptum videtur a D. Augerio Dioscoridis exemplar, licet picturis sit illustratum: nam picturas hujusmodi nihil moror, quae parum ad plantarum cognitionem facere videntur. D. Rembertus¹ paulatim in reliquis herbarii sui partibus progreditur, et nunc hanc, nunc illam plantam ex nostro horto ad vivum in tabellis ligneis depingi curat. Quando vero aliquam earum partium evulgaturus sit, minime mihi constat. Dominus Becanus vir doctissimus alias lucubrationes meditatur, quas non dubium est futuras doctissimas. Non possum mihi non persuadere, quin Gesneri labores ingens volumen confecturi sint, si ex aliis ejus operibus conjecturam facere licet: at hujusmodi opera sumptuosa magis et laboriosa videntur,

¹ Dodonaeus.

(30)

quam ingeniosa. Sunt et in Anglia nonnulli qui aliquid in re herbaria meditantur, et poenitet sane me, quidquam tentasse in eo studio post tam claros scriptores: nam quid ego fructus ex meis ineptiis referre possum, nisi ut me ridendum omnibus doctis praebeam! Bene vale, clarissime vir. III non. decembr. 1569. Antverpiae.

Tui studiosies.

CAROLUS Clusiüs A.

XXIV¹.

*Clarissimo atque ornatissimo viro domino D. Joanni Cratoni,
medico Caesareo, domino suo semper observando.*

Vratislaviae.

S. Literas tuas humanissime scriptas, vir clarissime, 8 cal. julii mihi reddidit Hubertus² noster, quae multis nominibus gratissimae fuerunt. Eae enim tanta elegantia et doctrina conscriptae sunt, atque animi tui erga me propensionem et voluntatem ita exprimunt, ut nihil ad earum elegantiam addi, neque ad benevolentiae declarationem quidquam accedere possit. Quo fit, ut et plurimum D. Huberto debeam, qui, praeter eam, quae inter nos est, ignorantum etiam, eorumque doctissimorum hominum amicitiam mihi conciliat: et tibi, qui, nullis officiis a me provocatus, tam liberaliter studium tuum et gratificandi

¹ Quae sequuntur Clusii epistolae, descriptae sunt ex primo volumine Epistolarum, quas bibliothecae Vratislavienae Redigerianae consecravit Christ. Fred. Henelius ab Hennensfeld, 1661 die 2 mensis februarii.

² Hubertus Languetus. Vid. supra p. 26.

voluntatem mihi offers. Hanc autem amicitiam perpetuam
 inter nos esse faxit Deus : ego sane sedulo eam conservare
 conabor , cum mihi summo ornamento futuram esse non
 dubitem : et licet magno locorum intervallo disjuncti,
 praesentes colloqui ad amicitiam colendam , non possi-
 mus , literae tamen (quae ea causa reperias videntur , ut
 inter absentes colloquium esse possit) id incommodi sar-
 cire poterunt. Nobiles ac eruditos adolescentes Thomam
 et Abrahamum ¹ , qui studiorum gratia huc cum Huberto
 venerunt saepe accedo , iisque , tum virtutis eorum , atque
 honestissimae et de Repub. bonisque omnibus optime me-
 ritae familiae nomine ; tum Domini Huberti causa , quem
 unice complector ; tum etiam tua , cui plurimum ob sin-
 gularem doctrinam , humanitatem et candorem tribuo ,
 omnia mea studia , et officia , omnem denique operam pol-
 liceor. Accedunt aliae praeterea causae , quae , ut id faciam ,
 me impellunt : nam cum ex dominorum curatorum Thomae
 Redigeri voluntate hoc munus mihi ab Huberto delega-
 tum sit , ut ipsius Thomae studia resque curem , ac vale-
 tudinis ejus rationem habeam , idque in me receperim ,
 omnis cura mihi necessario attribuenda est , ut muneri com-
 misso satisfaciam , si vir probus et esse et haberi velim.
 Monte-pelio nuper rediit Godefridus Scharvius tuus affinis ,
 quem ad Dominum D. Hollerium deduxi : pollicitus au-
 tem ei est , tua causa , omnem operam . Idem faciet , non
 dubito , D. Jacobus Goupylus professor regius , vir doctissi-
 mus et plurimae lectionis (aliquoties enim eum adiimus ,
 sed negotiis impeditus erat). Hi duo (quorum alter , nempe
 Hollerius admodum difficilis est , et natura tetrica) reli-
 quis praferendi mihi videntur , et digni , in quorum ami-

¹ Intelliguntur Thomas et Abrahamus Redigéri.

citiam et familiaritatem sese insinuet. Quod si alios adjungere velit, ex eorum paelectionibus facile sibi diligere poterit quos sectetur. Ad me quod attinet, quacunque in re illi gratificari potero, studium et voluntatem meam defero. In simplicium autem medicamentorum cognitione, quid a me expectare possit nescio, quod antea non viderit, cum iis praceptoribus usus sit, quibus maximam eorum partem, quae didici acceptam fero, et ex ea regione venia, qua plantarum feraciorem in Europa vix esse arbitror, earum praesertim, quae a veteribus descriptae sunt: sed tamen quod potero faciam, ut intelligat tuam commendationem non vulgarem apud me fuisse.

D. Petri Lotichii Secundi versus ab Huberto accepi, pro quibus maximas tibi habeo gratias. Eos reliquis ejus operibus adjungi curabo, si modo ab ejus fratre nactus fuerō: nam, ut ea ad me perferrentur, doctissimorum virorum Lotichio olim ejusque fratri familiarium opera usus sum, inter quos est Mycillus, clarissimi viri Jacobi Mycilli, praceptoris quondam Lotichii, filius. Is ad ejus fratrem scripsit, ab eoque petiit, ut, si fratribus poemata quae secum Heidelberga abstulit, typographis excudenda tradere noluerit, ea saltem huc transmittat, nos enim curaturos, propter veterem amoris consuetudinem, ut ea hic typis describantur. Quod si neutrum impetrare potero, amici tamen memoriae hoc tribuam, ut conquisitas hinc inde elegias ad amicos scriptas, aliaque carmina hactenus non excusa, quae se mihi curaturos iidem viri polliciti sunt, cum his quae ad nos misisti, et iis quae penes me habeo ejus manuscripta, in lucem emittam, lectores admonens, ut, si quid Lotichii habeant, ne apud se delitescere sinant, sed nostrum exemplum sequuli, in publicum proferant: nimis enim magnam jacturam factura esset respublica literaria,

si varia insignis poetae opera eorum negligentia perirent.

De libris medicis nihil nunc ad te scribo, quando apud nos nulli prodierint, quos dignos existimem ad te mittantur, praeter D. Rondeletii libellum *de ponderibus*, sed illum te habere existimo, siquidem ante annum emissus est.

De statu praeterea reipublicae nostrae nihil est quod a me expectes, quod sciam D. Languetum diligenter ad te perscripturum singula.

Extremum itaque illud erit, ut si qua in re mea opera tibi opus erit, hoc tibi persuadeas, a me tibi omnia paratiSSima expectanda: id enim et auctoritas tua et jam feli-citer coepita inter nos amicitia et summa tua erga me be-nevolentia postulant. Bene vale, vir clarissime, et me, ut coepisti, amare perge. Lutetiae, cal. augusti 1561.

Tuus ex animo,

•

CAROLUS CLUSIUS A.

XXV.

*Clarissimo atque ornatissimo domino D. Joanni Cralonii,
medico caesareo, archiatro Vratislaviensi, domino suo
observando.*

Vratislaviae.

S. P. D. Cum proxime ad te scriberem, vir clarissime, nihil minus cogitabam, quam nobis Lutetia discedendum esse: nam et conventionis formula, qua mutuum obligati sumus Thomas et ego, et studiorum nostrorum ratio nos isthic plane detinebant. Sed vix adhuc ad munus mihi

commissum me composueram, cum repente pestis multis locis Lutetiae grassari coepit, cuius contagium magnum detrimentum ei scholae attulit: nam videre erat professores cessantes, nonnullas res concedere, lectiones intermitte, collegia occludi, studiosos catervatim fugere, denique omnia eo redigi, ut miserrimus esset ejus scholae status. Eadem etiam causa nos ex illa urbe expulit: stultum enim mihi videbatur imperterritum illic se velle profiteri, ubi manifestum appareret discrimin: ad haec conditionis ratio me admonebat plus illius valetudini metuendum esse qui meae fidei commissus erat, quam meae. Caeterum ante fugam deliberavimus de loco in quem concederemus: una autem urbs Aurelia maxime visa accommoda domino Huberto et nobis, in quam profugeremus; nam et schola (quae tamen nullo pacto cum Lutetiana conferenda est) et urbis amoenitas, aëque hujus regionis salubris (sita est enim ad Ligerim flumen) eo nos invitabant. Hic ergo haerere constituimus, donec ab amicis certiores facti contagiosum hunc morbum Lutetiae plane desuevisse (quod sub finem hujus mensis futurum arbitramur) illuc tuto reverti possimus. Godefridum tuum istic cum domino Huberto reliquimus, cui, quod ea officia, propter repentinum istum nostrum discessum, praestare non potuerim, quae illi debebam tum tuo, tum communium studiorum nomine, doleo. In reditu tamen nostro, si istic diutius haereat, nihil eorum praetermittam quae ad ejus studia promovenda favere arbitrabor. Domini Thomas et Abrahamus firma hactenus usi sunt valetudine, et perbelle ad hanc nostram victus rationem assueverunt.

Poissiacum, quod oppidulum sex horarum itinere a Lutetia distat, convocata erat ante nostrum discessum episcoporum synodus, ad componendas religionis controversias,

quae passim per Galliam flagrant. Eo venit etiam D. Theodorus Beza , vir doctissimus , a rege Navarrai (ni fallor) accersitus. Expectatur etiam D. Petrus Martyr Florentinus , qui Tiguri theologiam profitetur , a regina matre , ut ferunt , evocatus. Deus faxit , ut animos principum sic commovere possint , ut , omnibus controversiis compositis , eorum opera , libera fieri possit per universum hoc regnum evangelii Christi praedicatio : quod facile fieret , si principes vel tantillum ad eam rem animum appellerent. Quanta namque sit piorum per Galliam copia , vel una haec urbs abundans praebere potest testimonium , ut plerasque alias taceam quae istam longe superant : signidem hic quater in hebdomade convenienti juxta moenia purioris doctrinae sectatores ad decies mille homines , nonnunquam plures , ut conciones audiant , quo loco fit etiam pueris explicatio catechismi singulis diebus dominicis a meridie. Itaque cum haec ita se habeant , si papistae nihil de suo concedere , sed mordicus omnia retinere velint , aut misera ecclesiarum dissipatio passim expectanda est , aut , quod verisimilius videtur , intestinum bellum. Illud autem accidere non poterit , quin totius regni hujus Gallici concussio , ne dicam eversio , metuenda sit. Etenim utrique habent patentes fautores et propugnatores. Sed Deus , in cuius manu sunt omnia , populi sui miserebitur , et omnia in sui nominis gloriam facile , ubi voluerit , convertet , quod ut faciat , illum assiduis precibus sollicitare debeamus. Regina Navarrai 25 augusti hac transiit , ad maritum in aulam profectura. Quo die hic advenit piorum conventum adiit , et sua praesentia decoravit : idem fecit postridie , sed a meridie discessit. De publicis rebus plura a D. Huberto accipies , non dubito ; nam cum is sit aulae proximus , et ad ipsos etiam principes illi pateat aditus ,

facile, si quid sit novi, ad ejus notitiam pervenit. Nos vero procul absumus, et inter plebejos versamur : quae tamen aut ipsi videmus, aut certo ad nos perlata sunt, committere nolui, quin tibi communicarem, mallens ea scribendo quae tibi forsitan ab aliis significata sunt, peccare, quam nihil scribendo negligentiae accusari. Bene vale, vir clarissime, et tuum Clusium, ut coepisti, in amicorum numero habere perge. Aureliae ad Ligerim, 7 idus septembr. 1561.

Tuus quantus est
CAROLUS CLUSIUS A.

Plurimum te salutant Thomas et Abrahamus.

XXVI.

*Clarissimo viro domino D. Joanni Cratoni medico caesareo,
domino suo observando.*

Vratislaviae.

S. P. D. Cum viri clarissimi D. P. Lotichii Secundi poëmata ab ejus fratre (nam ad illum hac de re scripserram) atque nonnullas elegias ab aliis ejus familiaribus expecto, quas integro operi adjicerem, pestis, quae toto autumno hic saeviit, scholamque dissipavit, expectationem nostram plane fefellit. Si enim, a quibus elegias expectabam, hinc inde propter easdem causas, ob quas secesseramus, nimirum propter pestis contagium dispersi sunt, nec quo tandem commigrarint scire omnino potui : adeoque haec causa fuit, cur minus expectationi tuae satisfacere potuerim. Interea temporis typographus quidam Lysiensis (spe haud dubie lucri) corrasis ex priore et tertio libris qui-

busdam elegiis, quorum ille Lutetiae olim editus fuerat, hic in Italia, additis nonnullis eclogis et epicediis, libellum consarcinavit his postremis nundinis Francofordiensibus, cui titulum fecit omnium Lotichii operum, tametsi maxima pars desit, et dominum Christianum Lotichium fratris opera emendata apud se habere sciret, ut ex clarissimi viri domini Joachimi Camerarii epistola praeliminari perspicuum est. Qua in re non solum Christiano, aliisque qui integrum Lotichii opus in lucem emittere festinabant, sed ipsi etiam auctori, cuius scripta adeo lacera promulgavit, ut non, si reviviseret quidem auctor, pro suis agnitorum esse existimem, summam injuriam fecit. Ut autem hujus inepti avaritiam, quantum in me est, eludam, scribo rursus Christiano, ut fratris poëmata diutius apud se latere non sinat, et si hanc operam fratri navare nolit, saltem ea ad nos mittat, curaturos siquidem sedulo, ne memoria defuncti extinguatur. Non desinam interea familiares Lotichii literis sollicitare, ut si quae ejus scripta habeant, ea ad nos perferri curent. Et si quid impetrare potero, statim te commonefaciam, eaque tuis adjici curabo. Sed de his hactenus. Scripsi ad te proxime Aurelia, ut si peregrinarum berbarum satione delectareris, mibi significares, curaturum enim me, ut ea quae nancisci possem, ad te perferentur: sed cum tuus affinis dominus Godefridus iter ad vos institeret, tam commodam occasionem negligere non volui, sed nullo expectato tuo responso, nonnulla ad te mittere satius esse duxi, partim amicorum liberalitate mihi missa, partim diligentia nostra collecta, ea non ingrata tibi futura existimans, tametsi praestantiora tibi missa esse ex Gallia Narbonensi a tuo affini sciām. Ea itaque benevolo animo accipies, et si qua alia in re Clusium tuum gratificari tibi posse existimabis, ab eo studia, officia, diligenc-

tiam denique et operam omnem expectabis. Bene et feliciter
vale, vir clarissime, et me in numero tuorum habere perge.
Salutem meo nomine amplissimis viris domino Nicolao
Redigero, reliquisque Thome curatoribus, atque honestissimae
matronae ejus matri plurimum dicas velim, et
meliori de nota commendes, me apud illos, quod nunc non
scripserim, excusans. Lutetiae id. octobris 1581.

Tuus ex animo

CAROLUS GLUSRUS A.

XXVII.

*Clarissimo viro domino Joanni Cratoni doctori ac medico
caesareo, domino suo observando.*

Vratislaviae.

S. Diuturni istius mei silentii causam, vir clarissime,
non velim negligentiae adscribas, sed cum dominus Ho-
bertus in dies redditum in Germaniam pararet, malebam
illi meas quam ignoto tradere: multae autem illum neces-
sariae causae dintius retinuerunt quam cogitarat. Sub
Scharvii discessum, atque etiam post, scripsi ad D. Lotichii
fratrem, sed nullum responsum ab eo adhuc tuli, neque
quidquam ab eis accepi, qui multarum elegiarum a Lotichio
scriptarum exemplaria se mihi curaturos polliciti erant.
Itaque cum videam a nemine quidquam communicatum
esse, remitto ad te tuum exemplar, cui addidi nonnulla
ipsius Lotichii ad me scripta, atque cenotaphia quaedam ab
amico meo integerrimo in Lotichium conscripta. Ignosces
quod pollicitis non steterim, quandoquidem per me non

**stetit. Suspicor autem Christianum Lotichium fratris poëmata velle edere, adeoque eam esse causam cur non responderit, cum certo sciam, meas atque ipsius Julii Mycilli redditas ei fuisse. Nocte praecedente tertium decembris diem e vivis excessit dominus Hollerius, medicus doctissimus, cum pridie firma fuisset valetudine nec morbum sensisset, imo liberalius eo die coenasset: catarrho suffocatum dicebant. Etsi autem vir ille minime κανονικὸς es-
set, aliquod, ni fallor, praeclarum opus ab eo expectandum fuisset, nisi praxis illum a studiis avocasset. Sublato enim Fernelio, maximus ad hunc factus est concursus, ita ut vix sufficeret. Undecimo post die eum subsecutus est dominus de Monceau, medicus regius, sed non magni nominis. Sub finem mensis februarii domino Goupylo, qui solus post Sylvii mortem professor regius medicus fuerat, collega ad-
ditus est dominus Ludovicus Duretus, vir doctissimus ac diligentissimus, qui 10 martii de sua professione orationem habuit, ac biduo post, Hippocratis libellum de humoribus (quod in eo auctore diligentem navarit operam, cumque sibi prae reliquis antiquis imitandum proposuerit) doc-
tissime interpretari coepit. Ejus diligentia stimulatus do-
minus Goupylus, qui toto ferè septimestri feriatus erat, *Æginetae* tertium nobis accurate explicat librum, sane his qui in theoria versati sunt utilissimum, quippe qui om-
nium morborum totius corporis curationem complectatur. Religionis negotium, tametsi satanas quantum possit im-
pedire conetur, satis belle procedit; convenient enim sin-
gulis diebus interdum ad 20 aut 30 hominum millia ad
verbum Dei audiendum, quibus aliquando dominus Theo-
dorus Beza concionatur, nonnunquam Franciscus Perru-
cellus ecclesiae gallicanae apud Francofordienses olim
minister, jam vero dissipata illa ecclesia, a principe Con-**

daeo *huc vocatus* : sunt *praeterea tres aut quatuor ministri ordinarii*. Nondum tamen piis templo concessa sunt , sed loco aperto concionem audiunt et sacramenta administrantur , multum frementibus pontificiis , sed de his plura a domino Huberto accipies. Verum , quod pene omiseram , Duretus in collegium professorum regiorum adlectus est ob principem Condaeum Navarrei fratrem , qui periculosisime laborabat , pristinae sanitati restitutum , cum ab aliis medicis quodammodo deploratus esset. Semina quae Scharvio tuo tradidi , si grata fuerunt , et ea medicinae parte delectaris , rescribe ; curabo enim ut proximo autumno et e Montepessulano et aliis locis aecipias. Quod reliquum est , vir ornatissime , precor Deum patrem Domini nostri Jesu Christi , ut te reipublicae diu servet incolumem , illud tibi persuadeas orans , meam tibi opellam , studium et officium dedicata esse si qua in re his opus habeas. Bene vale , ac dominum Scharvium tuum plurimum ex me saluta. Lutetiae , 13 cal. april. 1562.

Tuus semper

CAROLUS CLUSIUS.

XXVIII.

Clarissimo viro domino doctori Joanni Cratoni medico caesareo , domino suo observando.

Vratislaviae.

S. P. Post nostrum e Gallia discessum , clarissime vir , jam tertium ad te scribo , planeque confido meas tibi redditas esse : in his Galliae statum utcumque describebam , et respondebam ad eas , quas cum Goupyli literis accepe-

ram, cupiebat ille respondere et crebro D. Hubertum sciscitabatur, quando ad vos redditurus esset. Postea audio bonum virum ex urbe ejectum, peneque in vitae discrimen incidisse a plebe. D. Duretum secessisse mihi relatum est, omnesque studiosos discessisse, plerosque bibliopolas ejectos esse, atque inter eos Wechelum omnium facultatum jacturam passum esse. Denique talis ejus urbis est facies, ut jam nil nisi arma undique perstrepant, fiatque passim piorum miseranda caedes. Duretus nihil adhuc in publicum edidit. Meus Thomas misit eos libros, quos petieras cum praedio rustico; nam tandem eos recipimus, quos Lutetiae emerat. D. Hubertum nunc intelligo e Gallia discessisse, neque consultum illi fuisse crediderim diutius in ea haerere, cum in Germanos Guisiaci passim saeviant. Gallicae aut Helveticæ theologiae nihil hic adfertur, siquidem etiam nostris bibliopolis interdictum est, ne hujusmodi libros importent, et ne id clam fiat, diligenter theologi perquirunt, eamque ob causam minime in hac re vobis gratificari possumus. Ante aliquot dies, quod hos tumultus Gallicos¹..... perdurare videmus neque brevi.... manifestum..... Antverpiae..... valediximus atque Lovanium nos contulimus, existimantes consultius fore nostris studiis si isthic in academia, in qua multi sunt docti viri, potius quam illic inter mercatores, qui perpetuo de suis mercibus confabulantur, vivamus. Hic habemus Biesium, Cornelium Valerium, Gemmam et plerosque alios claros viros, quorum aut praelectionibus, aut familiari colloquio frui possumus. Itaque non ex timo Thomae parentes moleste id laturos. Tuas Biesio redidi. Bene vale, clarissime vir, atque ornatissimum virum

¹ Desiderantur verba quaedam, ob chartam laceratam.

D. Nicolaum Redigerum, ejusque matrem honestissimam
matronam, atque tuum Scharvium officiose ex me saluta.
Lovanii idib. augusti, 1562.

Tuus semper

CAROLUS CLUSIUS A.

XXIX.

Eidem Joanni Cratoni.

S. P. Superiori octobri, clarissime vir, cum vidarem nullum finem apparere Gallicorum tumultuum, sed amoenissimum illud florentissimumque totius Europae regnum funditus everti, desperavi plane de nostro reditu in eam regionem. Itaque consilium inii plenum periculi. Lutetiam enim accessi nostrae supellectilis huc vehendae gratia. Quantis molestiis plenum fuerit illud iter, non attinet multa dicere. Nam qui Galliam militibus plenam, florentissimam regni urbem a Guisianis obsideri, deinde diripi, in memoriam revocabit, facile intelliget non levis momenti fuisse eam profectionem. Sed Dei beneficio, unius mensis spatio, illud iter confeci, supellectilemque huc reduxi incolumis. Quam vero illic miseriam non vidi? Optimi quique profligati, professores regii primarii in exilium missi, eorumque fortunae direptae: hinc fames urgebat, illinc pestis grassabatur (dicuntur enim semestri spatio plusquam centena hominum millia ea lue obsumpta), inde caedes oculis perpetuo obversabantur et plurima mortis imago. Ubi solebat esse musarum sacrarium, jam facta est belli officina, ita ut nihil nisi arma perstrepere audias, et timpana pulsari, tubasque inflari. Itaque non Lutetiam omnium olim studiorum nutricem ingredi videbar, sed novam aliquam prorsusque incognitam urbem. Praeclare

igitur nobiscum actum putabam, quod mature nos inde subduxissemus: nam multa procul dubio subinde intueri coaclii fuissemus, quae non modo displicuissent, sed etiam exhorruissemus, et forsitan in manifestum periculum nos conjectissent. Sed de his satis. Caeterum tametsi hic in academia celebri vivamus, Lovanium tamen non habet ea honesta exercitia quae Lutetiae reperiebamus: neque hi professores ullo modo cum Lutetianis comparandi sunt, sive doctrinam spectes, sive docendi methodum et gratiam. Haec eo scribo, quod studiis et valetudini domini Thomae melius esset consultum, meo judicio, si proximo autumno in Italiam proficiseretur, praesertim cum Galliae repetendae spes adempta omnino hac tempestate videatur. Nam et in posterum illi etiam consultum velim, tametsi calendis augusti proximi munere meo perfunctus ero. De ea re per occasionem cum ejus parentibus agere poteris: sed ita ne a me profectum existimare aut suspicari possint. De libris quos petis, curavimus sedulo: sed unum duntaxat, Scaligeri nempe librum, quem dominus Thomas tibi misit, invenimus; reliquorum ne nomina quidem nostates bibliopolae se audivisse aiunt. Ferrerii tamen libellos Lutetiae ante biennium mihi diligentissime perquisivi, sed frustra. De Lotichii nostri poëtae clarissimi operibus, velim scire quid dominus Camerarius statuerit. Memoriae defuncti hoc tribui cuperem, ne mutilata in lucem prodeant. Verum cum magna domino Camerario intercedat familiaritas cum Christiano Lotichio D. Petri fratre, isque apud se exemplar habeat ex postrema ipsius autoris recognitione correctum, facile impetraturum dominum Camerarium a Christiano arbitror, ut opus illi concedat, siquidem de memoria fratris in perpetuum conservanda agitur. Reliquum est, clarissime vir, ut me

(44)

in tuorum numero habere pergas , et domini Redigeri parentibus de meliore nota commendes. Saluta meo nomine dominum Godefridum tuum affinem. Bene vale. Lovanii , 6 cal. februarii , 1563.

TUUS CAROLUS CLUSIUS A.

XXX.

Clarissimo viro domino doctori Joanni Cratoni , Caes. Majestatis medico primario , domino suo observando.

Vratislavine.

S. P. De literarum cessatione , nunc me libi excusatum esse arbitror, praesertim si postremas, quas ad te dedi, acceperis. In iis enim de nostris rebus deque Galliae statu nonnihil agebam. Dominus Hubertus aliquot menses per Germaniam vagatus est, ut solamen aliquod inveniret tristissimae patriae suae eversioni. Ex conventu Francofurtensi ad me scripsit , deinde Argentorato , quo secesserat , post illum celebrem conventionem. Francofordiae his nundinis futurum ad me scripsit. De Gallicis rebus melius aliquantum speramus duce Guisio sublato , nam res ad pacem tendere videntur : sed tamen omnia adhuc incerta. Lutetiae crudeliter saevitum aiunt in eum qui ducem Guisium glande trajecerat, tametsi Guisius ipse ante obitum offendit illi remisisset , atque ejus causa regi supplex fuisset. Sed nihil impetrari potuit a furente plebe Parisiensi. De Rondeletio nihil audiveram, quod praeclusae sint nobis eae regiones, imo nihil nisi summa cum difficultate Lugduno hoc advehitur. Quid Gouylo , Dureto , Mercero , Ramo

aliisque summis viris actum sit, puto me aliquoties ad te
scripsisse : ita ut molestiarum illarum tristissimique eorum
exilii repetitione nihil hic opus sit. Literas tuas ad domi-
num Biesium misi, bisque illi scripsi, sed nihil accipio
(Lovanio enim hoc concessimus, taedii quadragesimalis
levandi gratia) ; ejus Theoriam nondum extare certum est,
sed apud eum adhuc latet, recognitam intelligo, nam prior
editio ante aliquot annos publicata est. Ferrerii libelli
nusquam hic inveniuntur; neque ante biennium (ut tibi
significavi) cum Lutetiae eos quaererem, reperire potui.
Valeriola locos communes noster Thomas tibi curavit :
cum enim ante paucos dies duo duntaxat exemplaria Lug-
duno hoc allata fuissent, illi auctor fui, ut alterum tibi
emeret. Domini Lotichii nostri memoriae velim summus
vir dominus Camerarius consulat, in qua re plurimum illi
conferre posse arbitror Christianum Lotichium mortui
fratrem, quod is omnia Lotichii opera recognita apud se
habeat. Rogatum te velim, clarissime vir, ut officiosissime
ex me salutare digneris amplissimum virum dominum
Nicolaum Redigerum cum ornatissima matrona ejus ma-
tre. Bene vale, ac me ut facis amare perge. Antverpiae,
5 cal. april. 1563.

Tui studississimus

CAROLUS CLUSIUS A.

XXXI.

*Clarissimo domino doctori Joanni Cratoni, Caesarae Ma-
jestatis medico primario, domino suo observando.*

Vratislaviae.

S. P. Quas ad me XI martii dedisti, clarissime vir, eas

tertio cal. apriles , triduo videlicet post quam ad tuas responderim¹. Non est profecto , mi domine, cur festinationem excuses, nullae enim tuae ad me pervenire possunt, quae non sint mibi longe gratissimae. De rebus Gallicis bene sperare nos jubent , speroque fatalem illam regni Gallici periodum in meliorem conversum iri. Nam aiunt publicam pacem (sublato eo qui caput erat omnium istarum turbaram) proclamatam esse per principem Condaeum administratorem totius regni : quae si vera sint, non dubium est, quin liber futurus sit cursus purioris religionis per universam Galliam. Doleo typographum Lipsensem poëmatum Lotichii editionem mutilam ita praecipitasse : nam si multa illi supersunt exemplaria , negligentior erit in conquirendo integro opere. Grata sunt mihi tua officia et sedulitas, teque oro ut hanc voluntatem perpetuo erga me alias. De Goupylo et Rondeletio aliquisque claris viris superioribus tibi significavi, quae scire potui. Domino D. Biesio aliquoties scripsi , sed nullum responsum ab eo extorquere possum, tuas tamen accepit. De typographo quaequivan sub praelo esset ejus opus castigatum, negat ille , sed dominum Biesium apud se adhuc habere ait, neque adhuc excudi posse, tametsi exemplar a domino Biesio accepisset, quod multa illi adhuc sint exemplaria. Locos communes Valeriolae tibi emit noster dominus Thomas, ut proxime ad te scripsi, eosque tibi curabit prima occasione. De Moscho audiveramus. Lutetiae atrox supplicium sumptum est de eo nobili, qui Guisium glande trajecit. Nam primum candenti ferro laceratus est, deinde ab equis concitatis disceptus, postea capite truncatus, denique ejus truncus exustus; verum fieri non potest, quin illi aliquando poenas

¹ Deest vox accipi.

dent de sua saevitia, quae omnes omnium aetatum crudelitates hoc anno superavit. Bene vale, clariss. vir. Antverpiae 3 non. april. 1563.

Tui studiosissimus

CAROLUS CLUSIUS.

Post octiduum Lovanium repetimus, unde nos subduxeramus salsametorum vitandorum gratia.

Saluta ex me officiosissime (nisi sit grave) ampliss. virum dominum Nicolaum Redigerum ejusque fratrem D. Joannem, si isthuc redierit, atque honestissimam eamdemque nobilissimam matronam eorum matrem.

XXXII.

Clarissimo viro domino doctori Joanni Crattonni, S. C. Magistatis medico primario Vratislaviae, domino suo plurimum observando.

Vratislaviae.

S. P. Tuas mihi reddidit dominus Thomas Redigerus heri Lovanio veniens, ut in Galliam proficiseretur clariss. vir, quibus nihil gratius esse potuit, quod eas videam plenas humanitatis et summae erga me benevolentiae. Ego vero nihil habeo, quod referam, nisi propensam animi minime fucati voluntatem. Gratum est eorum virorum nomina mihi significata esse, per quos interdum meae literae et rudes et minime elaboratae ad te pervenire possint. Quo vero in loco Italiae futurus sim, nondum constitui, nisi forsitan Pisas me conferam, quod ea urbs paulo quietior et minus turbulentia videatur. Ubiunque autem futurus sim, illud tibi persuadeas velim Clusium perpetuo tui fore memorem, et quascunque occasiones quaesiturum, ut

mutuis colloquiis per literas fruamur. Debebam nunc in Italia esse, nisi me negotiola quaedam alio per pulissent. Brevi autem, hoc est ubi parentibus valedixero, profectio- nem Italicam instituere spero. Clariss. viri P. Lotichii poë- mata huc allata sunt. Desunt tamen adhuc nonnulla, quae per libros elegiarum seorsim excusos sparsa sunt: an vero in altero libello, qui sequetur, futura sint, ignoro. Sed dominum Camerarium curaturum existimo, ne quid inter- cidat. Res Gallicae satis nunc tranquillae sunt, postquam rex tutorum imperio exsolutus est. Dominus Hubertus ante bimestre Lutetiae fuit et etiamnum est in aedibus Wecheli typographi, ut ipse Wechelus Francofurto rediens mihi narravit. Anglia bello flagrat adversus Gallos, et lue pesti- fera exhausturit. Bene vale, clarissime vir. Antverpiae no- nis octobr. 1583.

T. C. Clusius A.

XXXIII.

Clarissimo viro domino doctori Joanni Cratoni, Sacrae caes. Majestatis medico dignissimo, domino suo multum observando.

Vratislaviae.

S. P. Cum ad tuas proxime responderem, clariss. vir, cogitabam brevi in Italiam. Sed negotia domestica diutius me hic retinent praeter animi voluntatem: siquidem pa- rentem reperi et valetudinarium et senem, cumque non posset propter valetudinem negotiola quaedam pro- curare sua, ejus personam sustinere me oportuit. Spero tamen Dei beneficio sub finem hyemis institutam ante ali- quot mensis profectionem moliri, nisi magnum aliquod

impedimentum objiciatur. Prodiit ante aliquot dies in publicum clarissimi medici D. Biesii liber unus de Methodo medicinae. Eum, quod scirem te illius viri lucubrationibus plurimum delectari, mitto. Ejus Theoretica brevi etiam expectamus, distractis, ni fallor, maxima ex parte prioris editionis exemplaribus. Eum librum, quod abfuturum me sperem, ab ipso auctore expectabis: memini enim, cum eius libri mentiouem apud illum feci, pollicitum esse, omnium lucubrationum suarum exemplar ad te missurum. Dominum Hubertum nunc Lutetiae esse existimo, literas enim ab eo accepi 20 octobris scriptas, quibus significabat se in Burgundiam proficiisci ad senem parentem, brevi autem redditum Lutetiam: addebat etiam puriorem Evangelii doctrinam ita majoris partis Gallorum animis insedisse, ut non facile extirpari possit, quantumvis fremant Pontificii. Hac de causa gratulor domino Thomae Redigerio, quem ex patria rediens in itinere offendit in Galliam proficiscentem. Nam, pace in Galliis constituta, verisimile est, artes omnes suum decus recuperaturas, professoribus in academias revocatis. Rerum novarum, quod scribam, nihil habeo, nisi quod hae regiones a praedonibus magna cum licentia infestentur, ita ut in ipsis urbibus privatas civium aedes perrumpant. Superioribus quoque diebus ex Hispania relatum est, ex octo navibus, quae mercibus onustae in Americam vela faciebant, quinque tempestibus obrutas esse. Bene vale, clarissime vir, et me, quod facis, amare perge. Rogatum te velim, ut amplissimum virum dominum Nicolaum Redigerum, cui te familiarem esse scio, officiose ex me salutes. Gandavi, nonis decembr. 1563.

Tuus semper,

CAROLUS CLUSIUS.

Mitto ad te veteris mei amici P. Lotichii elegiam , quam Antver-
piae nactus sum.

XXXIV.

*Clarissimo viro domino doctori Joanni Cratoni, caesareo
medico, domino suo plurimum observando.*

Vratislaviae.

S. P. D. Literas tuas sub finem januarii Hispali accepi , clarissime vir , eo enim , peragrata aliqua Hispaniae ulte-
rioris , magna que Lusitaniae parte , veneramus ad decimum
octavum ejusdem mensis . Quam gratae mibi fuerint , non
attinet hic scribere . Ad eas sane libenter respondissem , si
data fuisset aliqua quies istis peregrinationibus . Sed cum
paucos post dies Hispali discesserimus , nusquam consedi-
mus , donec perlustratis Gadibus , tota Boetica Celtiberia-
que et Oretanis Madritium redierimus ad 19 aprilis , ubi
biduum commoratus , redditum in patriam institui magna
cum animi voluptate , quod in Hispaniam profectus es-
sem , praeter voluntatem et institutum . Compluti fueram
antequam tuas acciperem : sed nihil de Vallesio audivi ,
nec ejus librum videre contigit . Hoc habet Hispania , si
qui sunt viri docti , eos insigniter egregieque doctos esse
comperi , sed adeo rari sunt , ut satis mirari non possim ,
cum nec ingenium illis desit , nec occasio . Valentia sola et
habet doctos professores , et latinae linguae exercitia colit .
Salmanticae et Compluti nefas esse arbitror latine loqui ,
quod etiam ipsi professores perpetuo vernaculo sermone
ulantur . Luleiae inveni filium clarissimi viri D. Joachimi
Camerarii , et nostrum D. Hubertum , qui mibi significavit
dominos Joannem et Thomam Redigeros in Germaniam

concessisse, dominum vero Thomam in Galliam redditum, quod mihi item hic confirmatum est. Scripsisse ad illum, nisi intellexisse brevi huc eum venturum. Gratiissimum autem erit, si isthic adhuc fuerit, si eum ejusque fratres et matrem plurimum meo nomine salutes. De rebus meis nihil certi statuere possum, donec literas Augusta accepero, quas prope diem expecto. Bene vale, clarissime vir. Antverpiae xvi junii 1565.

Tuus semper

CAROLUS CLUSIUS A.

Hispaniam multarum peregrinarum pulcherrimarumque plantarum feracissimam esse comperi : quas ita ab Hispanis negligi dolendum est.

XXXV.

Clarissimo viro domino doctori Joanni Cratoni, medico caesareo, domino suo plurimum observando.

Augustae.

S. Quod serius ad tuam epistolam respondeam, clarissime vir, ne negligentia factum putas. Sed cum ea mihi redderetur, jam itineri Bruxellam accinctus eram, in quod decem dies insumpsi. Salutavi enim eadem opera Dodonaeum, apud quem triduum haesi. Edidit ille hac hyeme, cum integrum ob nimias occupationes non posset, historiae plantarum latinae partem, reliquas per otium communicaturus. Exemplar mihi dedit ad te mittendum, sua manu a mendis, quae per operas typographicas irrep-

serant, repurgatum: rogatque ut boni consulas tenue munusculum.

Meam epitomen habebis proximo mercatu Francoforiano, Deo favente, atque etiam, si fieri possit, eodem tempore Plautarum Centuriam dabo. Utriusque exemplar ad te curabo, ne sis sollicitus. Sed quod pretii mentionem injicis, facis mihi injuriam. Non convenit enim inter amicos.

Do nostris rebus a domino Joanne Redigero te omnia audire puto, nam certum est diligenter ad eum perscribi. Cui etiam exemplar postulatorum Belgicae nobilitatis missum erat, sed in itinere periisse intelligo, quoniam tabelarius in latrones incidit. Eadem latino sermone reddideram petente D. Materno, ut domino Nicolao mitterentur, verum cum Gallicis perierunt. Hispanicae inquisitionis saevitia nostros magnates, qui in Hispaniam, ut postulata nobilitatis regi exponerent, profecturi erant, adhuc hic retinet; aliorum enim periculo commoniti, non temere se in manifestum periculum conjicient, praesertim apud regem de rejicienda inquisitione, aut in Belgicum non admittenda, verba facturi. Satis adhuc quieta sunt hic omnia, et rogandus nobis est Deus, ut pacatum et trauquillum hujus provinciae statum esse velit. Vicinorum enim exemplo satis sumus commoniti, quam periculosae imo perniciose soleant esse hujusmodi mutationes subitae.

Dominum Hubertum, atque etiam dominum Sambucum, modo istic sint, velim meo nomine salutes. Literas aliquoties ad utrumque dedi, sed a neutro responsum fero. Bene vale. Antverpia intra triduum Brugas redditurus. 27 aprilis 1566. Salutat D. Dodonaeus.

Tuus semper

CAROLUS CLUSIUS A.

Rogatum te velim ut domino Joanni Redigero plurimam meo nomine salutem dicas.

XXXVI.

Clarissimo viro domino doctori Joanni Cratoni, caesareo medico, domino suo perpetuo observando.

Vienae Austriae.

S. P. Ante triduum redditum mihi est ea epistola, quam ad me Vienae 26 octobris dedisti, clariss. vir; quam vero Augustae dedisse scribis responcionem, non accepi. Memini in ea epistola, quam Antverpiae aprilii scripsi, eorum spem fecisse, quae memoras. Verum saepe numero hominem non licet esse ita, ut vult: multa etenim hac aestate contigerunt, quorum causa minime id praestare potuerim, quod statueram. Nam initio aestatis tradidi typographo Plantino meam Epitomen: at neque illi, neque mihi aula benevoli privilegium (sine quo quidquam excudi vetitum est) unquam impetrare poluerunt, aula videlicet his nostris motibus nimium fatigata, et alio occupata. Sub finem vero autumni tandem impetratum est, pollicitusque est typographus ante mensem cum apud eum Antverpiae essem brevi se eam praelo commissurum. Huic praeter aliquot annotatiunculas, pauculas quasdam icones addidi eorum aromatum de quibus meus Gracias agit, quaeque hic nancisci potui, sed eas a nemine adhuc exhibitas, aut ab aliis non satis fideliter expressas. Adjunxissem meas observationes, nisi et his motibus privatum accessisset iucommodeum. Etenim magna aestatis atque adeo autumni parte gravissimis doloribus afflictus fui, ob vulnus in crure dextro

summa cum contusione. Caeterum existimo hac hyeme et proximo vere operam in iis conscribendis et plantarum iconibus exprimendis collocaturum esse. Habet Dodonaeus in manibus Coroniarum plantarum historiam, et si per occupationes licebit, forsitan integrum historiam absolvet. Ex oratione habita in funere Fuchsii collegi tres tomos historiae plantarum, brevi excudendas. Sed et plantarum historiam a Gesnero conscriptam Wolfius pollicetur, tot itaque tamque illustribus viris in hanc rem sudantibus, sperandum est aliquando studium rei herbariae absolutum iri. Abstulit certe nobis hic annus tres celeberrimos medicos, Gesnerum, Fuchsium, et postremo omnium Rondeletium, qui superiori autumno *duceslepiā* extinctus est in mediis laboribus. Totus enim erat occupatus in conscribenda curandi et methodo et medicamenta componendi ratione, quoniam hi libri multili admodum et ex praelectionibus ejus excepti ante biennium in lucem prodierant, studiosorum quorundam cura, qui ejus nominis rationem non magnam habuerunt. Opera vero sua paulo ante mortem legasse intelligo Laurentio Jouberto professori in eadem academia Monspeliana.

Quem finem habituri sint nostri motus, nemo est qui sciat, orandus nobis restat Deus, ut eos sedet et rempublicam denuo in tranquillum sistat. Frequentes fiunt conciones cum in nonnullis urbibus, cum in omnibus fere pagis et urbium quarundam pomeriis. Anabaptistarum item seminarium nonnullis Flandriae locis pullulare incipit, quibus nisi mature resistatur, verendum est, ne latius malum serpat. De nostra adversus Turcas clade jam audiveramus, multosque illustriss. heroas in acie periisse nunciatum est. Domino Joanni Redigero gratulor ex animo honorificum munus, cui et ejus fratribus, si quando ad eos scribes, plu-

rimani meo nomine salutem adscriptam velim. Bene vale,
clariss. vir. Brugis III cal. decemb. LXVI.

Tui studioss. ,

CAROLUS CLUSIUS.

Gesneri libellus de lapidibus studium illud fere in me sopitum
denuo excitavit, quare, si qua in re id iuvare poteris, gratissi-
mum feceris, utque et facias magnopere te rogo.

XXXVII.

*Clarissimo viro domino doctori Joanni Cratoni, medico
caesareo, domino suo perpetuo observando.*

In Caesaris aula.

S. P. Tam aerumnosus est harum regionum status,
clarissime vir, ut quid ad te potissimum scribam non ha-
beam. De meis rebus nihil magis perscribere possum,
cum meos conatus et studia nostri tumultus praecipitent.
Non possum autem non dolere harum tam cultissimarum
regionum tam miserandum casum, quas video pristinum
illum statum et florem nunquam recuperaturas. Nihil
sane hic efficient humana consilia, nihil prudentissimorum
etiam virorum diligentia. Sed solus Deus qui gravissime
ob nostra peccata nobis infensus has aerumnas mitigare
potest, quem profecto ex animo oro, ut tandem nostri mi-
sereatur. Tametsi autem his tumultibus mea studia mi-
rum in modum perturbentur, non possum tamen cogita-
tionem illam de rebus metallicis (de qua nuper ad te
scripsi) deponere, at in dies augescit ardor ille. Eamque
ob causam, si quid juvare nostra studia ea in re possis,

etiam atque etiam te rogo. Intellexi item genus quoddam
lapillorum planorum et quasi circino in orbem ductorum
inveniri in montibus qui Pannoniam a Dacia sive Transil-
vania distinxerunt, quorum alii auri, atii argenti colorem
referunt, et characteribus insigniti videntur sed incog-
nitis. Ferunt Ladislaum regem, quem Tartaros praeda et
spoliis onustos persequeretur, atque metueret, nemilitum
suorum avaritia et ignavia, qui thesauris per viam stratis
ab hostibus inhaerebant, victoria illi e manibus eriperetur,
a Deo petuisse ut nummi illi et pecunia ab hostibus in via
relicta in lapides mutaretur, quo militem sic delusum ala-
criorem haberet in persequendo hoste. Si quos tua diligentia
ex his lapillis nancisci possem, gratissimi essent. Meminit
item doctiss. Matthiolus in suis commentariis Iridis cujus-
dam flore aureo, quam in Bohemiae hortis coli scribit.
Eius semen si quod fert, vel radicem unam atque alteram
curari mihi velim. Ignosce, clarissime vir, si postulator tam
importunus sum et te aliis gravioribus negotiis occupa-
tum ad istas nugas revoco. Bene vale, clariss. vir, atque
per occasionem generosum dominum Joannem Redigerum
saluta plurimum meo nomine, tum etiam Sambucum
nostrum, si quando eum videbis. Brugis Flandrorum X
cal. april. 1567.

Tui studiosissimus

CAROLUS CLUSIUS A.

XXXVIII.

*Clarissimo viro domino doctori Joanni Cratoni, medico
caesareo, domino suo observando.*

S. P. Auxit mirum in modum meum dolorem generosi

viri domini Joannis Redigeri casus, ob meum erga totam illam familiam amorem. Praesertim vero domini Thomae luctus me moveat, quem scio fratris conjunctissimi obitu vehementer perculsum iri. Scripsi ad illum epistolam non consolatoriam, cum ipsi mibi consolatione opus sit, sed querimoniarum plenam. Quis enim perditissimis in rebus statum harum regionum miserrimum non deploret! sed aliud quiddam privatum me affligit, et nullam consolationem admittere sinit patrui mei senis et jam septuagenarii supplicium, et omnium ejus facultatum depraedatio. Non movit sanguinarios homines senis auctoritas, non quod praecclare de sua rep. meritus esset, non uxoris et liberorum ejus commiseratio. Una res me consolatur, quod nullum ob scelus, at ob evangelii filii Dei assertiōnem et in fide constantiam suppicio affectus sit. Sed satis querimoniarum. Ego te morbum superasse ex animo gaudeo. Per absentiam typographi in Francofurtano mercatu mea Epitome excudi coepta est, sed ob turbas intermissa, et negligentius, ut verum fatear, ob meam absentiam curata. Omnes ad me quaterniones prater duos postremos missi sunt, ut si quid mendarum esset corrigerem. Sed satis sero, nisi ut mendae ad calcem libelli rejiciantur. Ubi fuerit absolutus exemplar emendatum curabo. Scripsi superiore epistola de Iride flore aureo hortis Bohemicis Matthiolo culta, et saxeis quibusdam nummis cum aureis tum argenteis qui in montibus Hungariam a Transilvania separantibus inveniuntur. Utriusque si fieri commode possit, hoc est Iridis seminis aut radicis et aliquot nummorum copiam mibi fieri velim. Bene et feliciter vale, clariss. vir, Brugi sad 14 aprilis 1567.

Tui studiosissimus,

CAROLUS CLUSIUS.

XXXIX.

*Clariss. viro D. doctori Joanni Cratoni, Caesareo medico,
Domino suo observando. Pragae.*

S. P. Scripsi ante decem dies, clariss. vir, nostram Epitomen aromatum sub praelo esse, brevique absolvendam. Nunc cum intellexerim absolutam et dispersos quaterniones in unum corpus collectos, dedi negotium Plantino typographo, ut exemplar per Maternum ad te curaret. Scripsi item Materno, ut exemplar a Plantino accipiat. Comissa sunt aliquot errata per meam et ipsius typographi absentiam. Solent enim per heri absentiam negligentiores esse operae, praesertim cum nemo illis adest, qui aut typographicam intelligat, aut emunctioris naris corrector. Graviora autem errata ad calcem ipsius libelli rejici curavi. Boni igitur consules levideuse munusculum, et Hispaniarum rariorum stirpium observatiunculas aliquando exspectabis: siquidem in earum contexenda historia hanc aestatem (quantum per nostros hos motus, quos in dies augescere conspicio, scilicet licebit) impendere decrevi et iconibus sculpidis sculptorem occupato ut proximo vere, favente Deo, in publicum prodire possit. Bene vale, clariss. vir, et eorum, quae binis postremis ad te literis petii, meminisse quaeso velis. Brugis 23 april. 1567.

Tui studiosiss.

CAROLUS CLUSIUS A.

XXXX.

*Clariss. viro D. doctori Joanni Cratoni, medico Caesareo,
Domino suo plurimum observando, Viennae.*

S. Binas tuas priores XI octobris, alteras XVIII Viennae
datas, ante biduum apud bibliopolam Brugensem Plancum
inveni, cum biduum ante Maternus Antverpiae quidquam
literarum a te habuisse negasset praeter eas quas ad Bie-
sium dedisses. In prioribus chartulae involuta erat terra
Cassensis, sed in pollinem fere redacta ab explorantium ma-
nibus qui aliud forte esse existimarunt. Gratissimum sane
id mihi fuit munus, et si interdum hujusmodi ad tuas ma-
nas perveniant, oro te nostri memineris : etenim non
credas quam hujusmodi omnium rerum peregrinarum
semper fuerim studiosus. Itaque non mirum est si lapillos
et alia quae polliceris avide expectem. Bimestri jam Mech-
liniae fui, intra octiduum Deo volente eo redditurus : etenim
exprimi curo earum plantarum icones, quas per Hispanias
observavi, earumque interea historiam describo. Duce-
tarum numerum explere puto, quae a nemine hactenus
sunt exhibitae, praeter paucas admodum, viginti for-
silan, quae ab aliis perperam. Nactus sum sane pictorem
ex animi sententia : utinam sculptor sit aeque diligens.
Dodonaeus stirpium coroniarum historiam Plantino ty-
pographo tradidit : eam ni fallor proximis nundinis habe-
bimus. Meam historiam ante proximam aestatem edere
non possum, propter sculptoris tarditatem. Gratulor
D. Biesio de honorifica et opima conditione; dignus enim
est ob singularem eruditionem omni felici fortuna. Quod

vero ad causam religionis attinet, perpetuo talis fuit, eamque ob causam D. Thomas et ego, cum Lovanium e Galliis commigraremus, in ejus aedes noluimus commigrare. Paulo etenim scrupulosius is percontabatur, an quotidie sacram audiremus, et ejusmodi farinae pleraque aliae: quae sane potius scrupulosi erant theologi quam liberi philosophi aut medici. Gallicae turbae, Hispanorum jugum paulo aequius reddiderunt. Plerique aiunt summis viribus inter regem et principem decertatum esse: alii negant. Illud certum est regis victoriam subsequuturam Hispanorum tyrannidem in has regiones intolerabilem. Voluit certe Deus opt. max. summam illam harum regionum superbiam et florentem statum dejicere, ut malis oppressi ad eum omnis boni conditorem revertantur, eumque agnoscent et revereantur. Bene ac feliciter vale, clariss. vir, ac tuum Clusium, ut facis, amare perge. Brugis
25 novembr. 1567.

Tui studiosiss.

CAROLUS CLUSIUS A.

XXXXI.

*Clariss. viro D. doctori Joanni Cratoni, medico Caesareo,
D. mihi plurimum observando, Viennae.*

S. P. Cum hinc nobilis mihi familiaris in aulam Caroli archiducis proficeretur, nam ex ejus aulicis est, et diceret, se Viennam iter facturum, non potui, tam commodam naclus occasionem, non ad te scribere. Ante octiduum tuas cum lapillo accepi, eodemque die respondi per Maternum nostrum. Gratissimus fuit lapillus, sed multo gratiores fuerunt tuae literae, quod de tua valetudine jam

multo tempore nihil intellexissem. Quos mihi destinasti lapillos, commodam nactus occasionem mittere poteris : nam quem unicum misisti , frangere non constitui, donec alios acceperim. Non dubito quin D. Augerius Bousbecke¹, qui aliquando apud Solimannum egit caesareum oratorem, ejus ni fallor opera commode possent Constantinopoli advehi tuliparum dipcadique bulbi : id nisi tibi et illi molestum fiet , velim apud eum cures , atque illi plurimam salutem meo nomine dicas. Petendi autem essent inde ii bulbi , non nunc sed proximo junio , quo tempore et folia eorum atque etiam fibrae perierunt, totaque substantia in ipsis bulbis est coacta : tunc enim commode e terra eruuntur , et quinque aut sex menses siccii asservari possunt, sine aliquo nocimento. Si quid ego his in regionibus tuo illiusque nomine praestare possum , paratissimum semper invenietis. Bene vale , clariss. vir. Machliniae XVI aug. 1569.

Tui observantiss.

CAROLUS CLUSIUS.

XXXII.

*Clariss. viro D. D. Joanni Cratoni , D. Imp. M^{ta} medico ,
D. suo plurimum observando , Viennae.*

Huc a fratribus evocatus , ut amice , si fieri possit , inter nos de paterna haereditate conveniat, clariss. vir , videbo ut brevi negotia absolvamus , deinde Machliniam revertar , ut negotiis isthic compositis , ad iter me accingam versus aulam Caesaris. Verum , cum plerumque negotium faces-

¹ Augerius Gislenus Busbequius , qui Turcicam illam legationem , stylo complexus , ad posteros transmisit.

sere soleant viatoribus equites per Germaniam (ut nunc ubique miles conscribitur), non inutile putavi fore, imo valde necessarium, diploma sive *salvus conductus* Imp. M^{is}, quo constet me ab ipsa evocari, ne quis forte mihi molestus sit ad vos proficiscenti. Rogatum itaque te velim summopere, ut hujusmodi diploma mihi statim impetratis, si fieri possit, tu et collega tuus Biesius, atque id apud ejus fratrem curetis Machliniam. Eo enim me tueri potero adversus eos, qui mihi aut molestiam facessere, aut moram objicere velint in itinere. Facies autem et mihi gratissimum, et veteri nostra amicitia dignum. Bene vale, vir clariss. Armeteriis XI cal. jun. 1573.

Tui observantiss.,

CAROLUS CLUSIUS A.

XXXXIII.

Clarissimo viro domino D. Joanni Cratoni a Craftheim, imp. Ma^{is} medico, domino suo perpetuo observando. Viennae.

S. P. A. X. kal. Septembres literas tuas una cum commeatu imperatoris accepi, clarissime domine Crato, pro quo magnas tibi ago gratias. Post biduum spero me iter ingressurum Deo volente. Ortelium nostrum Antverpia conveni, ait ille misisse se jamdudum ea, quae vestris aulicis pollicitus erat. Iстic ego primum intellexi de obitu Materni Schuff¹, qui ante bimestre vitam cum morte commutavit. Literas ad generosum dominum Thomam Redigerum Coloniam dedi quibus illi valedicerem, quandoquidem eum

¹ *Schuif*; vid. supra p. 3.

(63)

praesens convenire non licet ob temporis angustiam : si quidem per dispositos equos iter Wormatiam usque emitiri statui, et inde Francofordiam ut ibi his me comitem adjungam qui Viennam proficiscentur. Bene vale, clarissime vir, ac me (quod facis) amare perge. Machliniae prius die Kl. septembris 1573.

Tui observantiss.

CAROLUS CLUSIUS.

XXXXIV.

*Clarissimo viro domino doctori Jo. Cratoni a Craftheim,
S C. M^u consiliario et archiatro, domino suo plurimum
observando, Zu Breslau.*

S. D. Mitto domini Huberti responsum hodie ad me perlatum. Tuas heri accepi sub coenam. Literae inclusae sunt redditae, et fasciculus magistro postarum traditus. Domino Huberto hodie respondi, Wackerique literas et alias addidi. Ille Pragae recipiet quo se profici sci scripsit recta, tametsi per nos venire statuisse. Ante 10 dies Abundii mentem perscripsi, arbitror omnes meas redditas esse. Ordo aulae Caesareae XII pronunciatus fuit : meum nomen neque in eorum numero qui exauctorali sunt auditum est, neque illis conjunctum, qui in officio manent. Nescio quid sibi velit hoc silentium. Brevi tamen sciemus Deo volente. Die dominico libros accepi primum, quos Plantini gener Francofurto ad me misit : cum illis additae fuerunt literae ipsius ad te et alios quosdam : eas nunc accipies. Salutem reddunt D. D. Sambucus, Blotius

(64)

et Abundius. Bene vale, clarissime domine D., cum conju-
ge fidissima et suavissimo filio. Viennae, 19 decembris
1576.

Tui observantiss.

CAROL. CLUSIUS.

D. D. Redigeris officiosam a me salutem quaeso, D. item Mo-
navio.

XXXXV.

*Clarissimo viro, domino doctori Joanni Cratoni a Craf-
theim, C. S. C. M^{ta} Archiatro, domino suo plurimum
observando. Breslau.*

S. D. P. Flos solis e primis provenire solet. Tabaci vero se-
men, vere satum, interdum junio duntaxat emergit, raroque
ad frugem pervenit. Solemus ergo autumno id serere: nam
cum maturius subsequente anno proveniat, ad sementem
perduci potest, et semel maturitatem adeptum semen,
facile effluit, nec alia satione opus est deinceps. Meum
popularem existimo prudentiorem factum, redditum cum
tua Ex^a in gratiam. Nam si perpetuo antiquum obtinebit,
sese tandem evertet. Vidi Pasquillum inter pocula con-
scriptum, in quo nulla gratia. Omnes ordines perstringit,
et interdum adeo frigide, ut ejus lectio fastidium adferat.
Incipit ab ecclesiastico ordine, et primas tenet episcopus
Viennensis. Deinde confuse nunc consiliarios ecclesiasti-
cos, nunc medicos, nunc senatum et cives Viennenses,
jurisperitos et philosophos impedit. Literas tuas heri sub
noctem domino Abundio tradidi: dixit ille se responsu-
rum. Saepius hominem monui; sed actum egi. Nosti ejus

ingenium. Memini aliquando videre tuam effigiem expressam, nullis tamen coloribus adhuc depictam. Non dubito, quin longe facilius a domino Rumpfio auream Caesaris sis impetraturus quam ab hoc plumbeam. D. Blotium raro video, salutabo illum et monebo ut scribat. Meus hospes plurimam salutem reddit. Bonus D. Thaddaeus nescio quid rerum agat: illum admodum afflictum arbitror: nam et aula excidit, et uxorem, dum Pragae essem, amisit, quae erat columen suae familiae: nunc cum nunquam bonus fuerit oeconomus, et nullos habet liberos, necesse est, ejus res non optimo loco esse. Bene vale, vir clariss. D. Crato, et me in tuorum numero habere perge, atque apud dominum praefectum Caesarei palatii commendatum habe. Caesaris redditum avide hic expectamus. Viennae 22 maij 1577.

Tui observantissimus,

CAROLUS CLUSIUS.

Mitto Abundii responsum, aliasque literas quas Franciscus bibliopola gallus mihi tradidit.

XXXXVI.

Clarissimo viro domino doctori Joanni Cratoni a Craftheim S. C. M^{is} archiatro et consiliario, domino suo plurimum observando, Vratislaviae.

S. P. Ex Ungaria a domino de Bathyan regressus, tuas inveni, clarissime D. Crato. Tamdu te cum morbo conflicti vehementer doleo: neque satis mirari queo, cur ita ab amicis et popularibus deseraris. Valetudinem firmam tibi ex animo opto, ut denuo ad Caesarem commigres, quem brevi Pragam profecturum aiunt. Nunc purgatur, uti intelligo,

decocio Çarçae radicis, nec in publico edit, quod mihi magnam sollicitudinem adfert stipendiī exigendi causa. In Ungariam profecturus libellum supplicem suae M^u exhibui, illam obsecrans ut me tandem absolveret. Dedi et serenissimis archiducibus, ut ab ipsa idem impetrarent. Mea causa etiam loquuti sunt domino de Althan primarii aliquot provinciales, domini de Entzendorff et Felicianus de Herberstain, et Hieronymus Beck illi familiaritate conjuncti. Verum nondum experior, ullum pondus habuisse aut eorum favorem, aut meos supplices libellos. Scio quaestorem per se nihil agere posse, atque ex aliorum nutu pendere. Itaque plurimam gratiam habeo pro tuo erga me studio. De Dodonaeo postquam hinc discessit, nihil intellexi : pollicitus tamen erat ex itinere se scripturum. Hodie ad Augustam matrem proficiscitur serenissimus Archidux Ernestus, huc reversurus ante Caesaris abitum. Adest adhuc D. Julius. Stromerus, post facinus illud Posonii commissum, aula exulat. Bene vale, atque domino Joanni Baptistae filio, domino Scharfio affini, atque Monavio salutem precor. Viennae XII Maii 1578.

Tui observantissimus,

CAROLUS GLUSIUS.

XXXXVII.

*Clariss. viro domino D. Joanni Cratoni a Craftheim trium
Impp. primario medico et consiliario, domino suo pluri-
mum observando, Vratislaviae.*

S. P. Firmorem tibi sanitatem opto, clariss. D. Crato, atque plurimum doleo haec tenus nullam commodam occasionem sese obtulisse librum quem pollicitus sum, quemque per veredarios in tuum usum adferri curavi, tibi mittendi.

Verum cum tuas Praga ante triduum a nostro Wolzogio cursorum caesareorum praefecto recte acceperim, per eumdem tuis gratissimis respondere volui, atque librum mittere, quoniam ea est expeditissima via, qua brevi illius lectione (si seriis tuis studiis atque aliis negotiis detrahens tantum temporis lubet) frui queas.

Dodonaei liber nihil noti admodum continet, praeter inelegantes quasdam et forte fictitias figuratas ex Caesareo codice petitas. Binas epistolas ad D. Julium praetermissus velim: atque meo iudicio, majus officium praestitisset privatis literis oum Julio de hoc negotio agere, quam illas in lucem emittere. Julii librum non vidi: neque in hujusmodi contentionibus arbiter esse velim. Veteres rei herbariae scriptores plurimum Dodonaei sententiam confirmant; non negaverim tamen nostram vulgarem fabam majorem ipsis notam fuisse, praessertim rei rusticae scriptotibus. Verum nemo nostrum est qui non habeat suum naevum. Monavius nihil ad me de Julii scripto. Si in lucem prodidit, libentissime videobo. Ego interea a Deo opt. max. tibi, clariss. D. Crato, omnia felicia exopto. Viennae IIII non. junii MDLXXXIII novo calculo.

Tui studiosiss. CAR. GLUSIUS.

Aubrius nondum rediit necdum perlati huc sunt ejus libri.

XXXXVIII.

Clarissimo domino doctori Joanni Cratoni, trium Impp. primario medico et consiliario, domino suo observando, Vratislaviae.

S. IN CHRISTO P.

Prodiit tandem in lucem mea Pannonicarum stirpium

historia, clarissime D. Crato, sed tot foedis maculis conspurcata, nimis supina typographicarum operarum negligentia, ut plurimum me pudeat. Hanc ob causam cum errores tollere non possem, hic eorum (quos quidem leviter percurrente observare potui) correctiones exprimi jussi, atque etiam indicem, ut iis qui exempla meae historiae accepissent traderem. Verum cum in litera Z secundi alphabeti Phasiolorum figurae perverso ordine repositae essent, Plantini genero remisi ut recuderet, jussique ut appendicem auctiorem faceret, et indicem etiam adderet, quo saltem proximis vernalibus nundinis paulo absolutiora forent exempla. Quae superioribus nundinis mutila ad me missa sunt, ea sero admodum accepi, post trimestre videlicet, atque etiam pleraque lacera et luto foedata, nequitia Pataviensis ad Danubium episcopi, qui nostri Bibliopolae Joannis Aubri libros omnes (quibus etiam pauca mea exempla addita erant) retinuit diutissime, nec eos restituit nisi plurimis sublatis, et insuper 100 talerorum multa bibliopolae irrogata. Non habui quae singularis quibus dare debui sufficerent: alioqui jam etiam exemplar accepisses. Scripsi itaque Plantini genero, ut per cursores tabellarios unicum exemplar mitteret cum correctione literae Z appendice auctiore et indice; id superiore hebdomada accepi, quaeroque commodam occasionem qua eum tibi mittere queam. De qua re te his admonitum volui, ne existimes Cratonem (licet multo tempore meis literis non salutatum) Clusii animo excidisse. Bene vale, clariss. vir. Viennae Austriae VII Kal. april. MDLXXXIII, reformato calculo.

T. studiosiss.

CAR. CLUSIUS.

REMBERTI DODONAEI

AD JOANNEM CRATONEM EPISTOLAE.

REMBERTI DODONAEI EPISTOLAE ^{1.}.

I.

Carissimo et ornatissimo viro D. D. Joanni Cratoni à Craftheim C. Majestatis medico primario , amico suo , in aula S. C. Majestatis.

S. P. Scriptum tuum D. Crato mihi fuit pergratissimum. Quod de injuriis addis, miror. Si tibi data fuisset licentia legendi integras literas, secus, ni fallor, judicares. Congratulatus sum imperatori de tua praesentia. Nec aliqua, quae te non attingunt, injuriae sunt, nisi verae narrationes pro injuriis habendae videantur. Sed varia sunt hominum palata, varia judicia. Sed haec relinquo.

¹ Extant tom. VIII epist. Bibliothecae Elisabethanae Vrastislaviensis.—Cfr. Van Meerbeeck, *Recherches hist. et crit. sur la vie et les ouvrages de Rembert Dodoens*, p. 54, et Van Schlechtendal, *Litteratur-Bericht sur Linnaea für das Jahr 1842*, p. 246. — Hisce ex literis facile eritur quam ob causam Dodonaeus aulam reliquerit.

Alias Dodonaei literas, de obtinenda cathedra in Academia Lovaniensi, edidi tom. VII, p. 148. *Bulletins de l'Académie royale de Bruxelles*.

Catarro et lue populariter grassatum est, sed sub finem maii et junio mense multi una febricitarunt, quibus sanguinis mox facta detractio profuit. Pauci mortui sunt. Privilegium diligenter expectabo. Spero D. Eisenbergium veteris nostrae consuetudinis haud immemorem futurum. Ab aula imperatoris abesse te, sentio ego non expedire : causa tibi nota est, me abesse gaudeo, tametsi etiam non potuerim, quo statueram, redire. Belgii res afflictissimae sunt. Mechlinia triginta diebus direpta est ; adhuc gravatur milite¹. Misserrimo certe haec loco est. Dolet me conditio illustrissimi archiducis Mathiae, qui ab ordinibus dimissus fertur ; et expectatur dux Alenconius. Sed veriora ac certiora D. Daniel Prinsze scribere poterit. Nostrae physiologicae tabulae aliter hanc medecinae partem proponunt, quam ab aliis. Anni sunt triginta fere quod observationes illas scripserim, in gratiam quorumdam studiosorum mihi conviventium. Has inter meas scendas repertas, recognoscendas existimavi². Stirpium historia adhuc quiescere oportet. Imperatori omnia fausta ac felicia comprecor, et Deum O. M. oro ut imminentes astrorum minas ab ejus majestate avertas. Annum magnum clymaclericum sic metuo, ut medici diem sextum in morbis acutis. Interea Dei O. M. metum non abjeci, nec amorem negligo. In eo enim uno omnem meam spem semper collocavi, nec unquam collicare desinam, quamdiu integris sensibus vixero. Illius singulari providentiae acceptum fero, quod e patria evocatus fuerim, et quod et me a domesticis miseriis sua benignissima gratia ac praeveniente misericordia praeservaverit.

¹ Civitati Mechlinensi annus 1580 admodum fuit infestus ; die enim 9 aprilis hostes eam occuparunt et expoliarunt.

² Cfr. Van Meerbeeck, op. cit., p. 143 et 275.

Ago illi perpetuo gratias. Studeo Pauli consilium obser-
vare, qui ad Thessalonicenses sic scribit : Πάντοτε χαίρετε.
Ἄδιαλείπτως προσεύχεσθε. Ἐν πάντι εὐχαριστεῖτε¹. Bene vale.
Hac septembr. X, Coloniae 1580.

Perpetuo tuus

REMB. DODONARUS.

II.

*Clarissimo ac amplissimo D. Joanni Cratoni à Craftheim,
C. M. consiliario ac medico primario, in aula imperatoris.*

S. P. Respondi nuper festinanter tuis literis, D. Crato. Cum vero easdem in manus iterum sumo, observavi quae-
dam diligentius quam prius. Scribis te mihi profuisse, si
tibi morem gessissem. At ego non recordor in quo non mo-
rem tibi gesserim, in causa quidem officii nostri credo te
non habere tam dicto audientem. Recordor te aliquando
quaedam dicere de religione, in qua non existimavi tibi
morem gerendum. Nec excidit, quid mihi responderes, cum
Theodoretum me legisse affirmarem. Legi ea de causa hunc
iterum, et quidem ex versione Victorini Strigelii, quam et
contuli cum graecis. Verum ego nihil, neque in primo dia-
logo fol. 17, nec in secundo fol. 151, nec in tertio fol. 269,
editionis Lipsiensis in-8°, an. 1568 reperire potui, quod non
cum ecclesiae catholicae doctrina concineret, et cum offi-
cio missae, quae canitur in die quinta sacramenti, et cum

¹ *Semper gaudete. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite.*
I ad Thessal. V, 16, 17 et 18.

nonnullis ecclesiae orationibus. Recordor quoque eorum, quae ab Augustino scribuntur ad Bonifacium, contra Faustum in libro sententiarum Prosperi; quibus conjungenda quae scribuntur in expositione psalmi XXXIII, ad illud: *Ferebatur in manibus suis*; et in psalmum XCVIII, ad illud: *Adorate scabellum pedum ejus*. Ad alias nonnullas quaestiones possem tibi modo respondere, sed de praecipuis prius. Si praesentes habuisse, cum istic essem, libellos meos, potuisse et tunc; sed in his memoriam habui repositam. Quod reliquum, ut optime valeas, precor, et quam diutissime imperatori adesse queas. Hac octobr. XX, an. 1580, Coloniae.

Tuus

REMBERTUS DODONAEUS.

Cunstenbergius¹ nondum mei meminit.

III.

Clarissimo viro D. Joanni Cratoni, medico caesareo, Vratislaviae.

S. P. Offerente se mibi domino Arnoldo Elebrachto, qui Vratislaviam visendae vestrae dominationis gratia etiam proficisci instituit, non potui non paucis de Caesaris valedidine ad dominationem tuam prescribere. Usus est multo tempore rotulis(?) vestris: tandem circa sinistrum hypochondrium dolere coepit. Alvus non respondebat. Videbatur ex re clyster; quod mihi visum fuit, ut simplicissimum offeretur. Sed collega meus, clam advocato Paulo,

¹ Nonne legendum Coberubergius, de quo infra epist. IV?

aliud voluit, et ex decocto herbarum addito diacatholico, etc. Nunc agitur de purgatione. Non placet mihi aliud quam aloë, sed alios video draphocuum, diasatliconum, syrupum rosarum solutum et similia proponere. Ego gaudeo me demissionem impetrasse; quam cito potero extorquere solutionem, ad Belgium propero. Bene vale, Festinanter hac novembr. XX.

Tuus

REMB. DODONARUS.

IV.

Carissimo ac ornatissimo D. D. Joanni Cratoni à Craftheim, archiatro caesareo, in aula imperatoris.

S. P. Literas excellentiae tuae mihi D. Clusius fideliter tradidit. Mille florenos me postulasse, non dolet. Postulaveram prius, quam me admonueras. Deinde post abitum tuum iterum, cupiens simul et mihi liberum relinqui locum, Lintzii in aulae publicatione auctoritate imperatoria mibi decretum est.

Memini quid primo tempore et quid secundo responsum est. Potui enim jure petere, quod in manibus D. Vigili stipulatus eram, et quod imperator Maximilianus, mittendo viaticum, ratum habuerat. At non obligabatur Rudolphus imperator me retinere? fateor. Sed posteaquam retinuit, anne ad conditiones stipulatas tenebatur? Sed esto non fuisse obligatum. Quid de ducentis supra 800, quos stipulatus fuit post duorum annorum servitium et perpetuos vita mea durante?

Placet mihi omnino negatio, et nolim me impetrasse. Quod si vixisset D. Viglius, cum isthinc abirem, graviter

certo eum exostulassem. Me certe valde male haberet, quod deserta patria, relictis amicis, neglecto honesto stipendio, isthuc venerim, nisi mihi pro consolatione est patriae summa calamitas, a qua me abesse gaudeo. Ante biennium, cum Mechliniae essem, studebat me retinere magistratus, ampliore quam antea stipendio promisso; sed non placuerunt mihi, quae te observavi, praeludia eorum quae post secuta sunt. Ago Deo O. M. gratias, deinde et Maximiliano imperatori, quod me evocaverit. Non minores ago et Rudolpho imperatori, quod me dimiserit. Tametsi autem modo a nemine vel minimum stipendum habeam; nihil mihi quoque accedat vel ab iis quae a parentibus reicta, vel mihi comparata; tamen suaviter vivo, et melius (*ni fallor*) quam isthic fuisse, si permansissem. Me alit ars medica. Multi hic¹ Belgae sunt, qui me norunt, et qualiter domi forisque habitus fuerim meminerunt. Innotescere quoque jam dudum coepi hujus turbis primatibus ac suburbanis nobilibus. Ago Deo Opt. Max. gratias maximas de suis omnibus erga me beneficiis. Memini, cum Vratislaviae essemus, D. secretarium Coberubergium dixisse, se legisse in literis Viglii de mille florenis, sed relictas literas Viennae. Cum autem illic essemus, cupiebam mihi ostendti; negabat se posse reperire. Sed tamen cum a dominis de Camera postularentur facile repertae sunt. Si simulare, dissimulare, adulari, aulica sunt; fateor me nec esse nec fuisse aulicum. Non didici nisi veritatem dicere. Mox ubi prodierint nostrarum *Observationum exempla* ac *Tabulae physiologicae*, exemplaria mittam. Interea bene vale. An. 1580, VII cal. decembr. Coloniae.

REMBERTUS DODONAEUS.

Coloniae.

ABRAHAMI ORTELII

AD JOANNEM CRATONEM EPISTOLAE.

ABRAHAMI ORTELII EPISTOLAE¹.

I.

Doctissimo humanissimoque viro D. Joanni Cratoni, medico et consiliario imperatoris intimo. In aula imperatoris.

S. P. Comitiis Spirensibus, vir ornatissime, recepi Moraviae tabulam, et nunc denuo Pragâ alteram, multis locis et bohemicis vocabulis locupletatam, quae mihi grata omnino fuere. Tu primus es, cuius liberalitatem et favorem in ornando et augendo nostro Theatro expertus sum. Quod si plures tui similes nostro labori faverent, et felices nos judicabimus et studiis geographiae candidatorum optime consultum videbimus. Multis modis me tibi devinctum censuero, si per otium ea describas, quae in dorso tabularum hujus Moraviae et tuae Silesiae, te autore, imprimi possent. Dubravium a Cromero citatum legimus, at hac-

¹ Ex autographis tom. VI epistolarum collectionis Menelii Vratielaviae in Bibliotheca Redhigeriana.

tenus vidisse non licuit. Vale, magne vir, et me tibi ex
asse deditum existima. Antverpiae, 12 februarii 1571.

Tuus aequus ut suus,

ABRAHAMUS ORTELIUS.

II.

Eidem, in aula imperatoria.

S. P. Quod negotia nostra, vir clarissime, tam diligenter curaveris, maximas habeo gratias : sex anni, uti scribis, sufficerent, sed quocumque tu interea cum cancellaria egeris, bene est. Schusio pecunias expositas, postquam quanti sit rescivero, reddam. Diplomatis tenorem (ut vocant) cum primis ad me transmitti cuperem : nam sinonimya locorum geographicorum, quam jam multis vocabulis auxi, sub praelo est, in cuius calce privilegium adjicetur. Moraviae Bobemicas appellations, quarum schedulam accepi, in dorso ejus tabulac enarrationi annexare decrevi. Ex Dubravio libenter Bohemiae enarrationem concinsem. Materno ipso¹ ipse tuas literas tradidi; neque, quin hoc tempore rescriperit, dubito. Ex hoc catalogo primarii totius Belgii typographi², quid apud nos ex parte excudatur, perspicere poteris: in eo, si aliquid quod desideras, offenderis, a nobis lubentissime transmittetur. Alias fugent his calamitosissimis temporibus apud nos literae et artes; inter spem namque et metum haeremus. Amicus

¹ Maternus Schuis, de qua supra, p. 3 et seqq.

² Christophorus Plantinus.

(81)

premit, hostis minatur, et nescio quis tandem Esculapius
nos ab hac lue hispanica, qua jam diu nos laboramus, li-
berabit. Vale, vir optime, et nostris studiis, ut soles, fave.
Antverpiae, 12 kal. Aug. 1572.

Tuae humanitati addictissimus,
ABRAH. ORTELIUS.

III.

Eidem, Viennae.

S. P. Literas tuas, Posonii, vir ornatissime, datas, ac-
cepi. Si Joanni Lindano diploma privilegii tradideris,
bene est et satis opportune. Video Theatrum locupletatum
ante mensem martium non exiturum, cum in dies
aliquid accedit, et sculptor non pro volo nostro sedulus
sit. Sed quam primum absolutum fuerit, ex primis curabo
ad Caesarem, Cancellariam et ad Cratonem nostrum de-
ferri. Catalogum monochromatum apud nos excusorum
volumen efficeret; oceanus namque est: tanta copia et
numerus in dies singulorum foliorum quotidie hic celan-
tur. Mitto hic tamen, cuius (pro nostro judicio) digna
mentio fieri videbatur, nomenclaturam. Heri intellexi ex
meo amico Viennae te renuere pecuniam, teque velle hic
a me expendi, mihiique renumerarunt. D. Maternum Schu-
fium tuo nomine salutavi; Coloniâ nam ad nos rediit,
haesurus ad tempus. Vale, vir integerrime. Antverpiae,
20 novemb. 1572.

Tuae humanitati devinctissimus,
ABRAH. ORTELIUS.

IV.

Eidem, Viennae.

Literas tuas, ornatissime vir, 9 novembris datas accepi. Post etiam alias, una cum privilegio. Monochromatum genus, una cum libris, quos petieras, in fasciculo compactos et assignatos, D. Materno Schufio tradidi. In monochromotis expendi 11 florenos Brabantiae et 16 stuveros (florenus Brabanticus est 20 stuverorum). *Peregrinatio filiorum Dei* constat dalero; Lucretius Lambini 35; Lucretius Gefanii 7; Cornelius Gemma 25; Carmina novem faeminarum 7; Habitus gentium 4, Lemnii *Naturas Mira-cula* 8; communactus hic est in corio, dissolutus in chartis non exstabat. Petri Divaei *antiquitates Belgicae*, ad unum omnia ante annum distracta sunt exemplaria. Nullum exemplar reperire potui.

Ut harum ratio tibi innotescat, nummus aureus, quem *goldtgulden* vocatis, valet apud nos 35 stuveros, quam 30 dalerum efficiunt. Duos stuveros tuis addidi, quos negligo; tantum ut ratio inter nos constet, memini. Ago gratias pro tua effigie, et symbolum tuum perplaceat, et omnibus numeris absolutum judico. Scribebat Girolamus Ruscelli de symbolis siogendis aut depingendis methodum italicice. Hujus leges videtur mihi observasse quisquis hoc tuum excoigitaverit. D. Ariam Montanam, qui ante tres dies Roma ad nos rediit, tuo nomine salutavi, et resalutat officiosissime. Si ejus opera indigeas, illi significabis, et tibi tuisque amicissimum experieris. Hoc jussit me tibi scribere. Sed tuam quoque effigiem (nam quod a te accepi,

(83)

ostendi) a te desiderat. Vale, Mecaenas optime. Antverpiae, 6 Decemb. 1572.

Tuus si suus,

ABRAH. ORTELIUS.

V.

Eidem, Viennae.

S. P. Literas tuas, humanissime vir, tradidi Rhedigero, Cantero et Clusio, quem novi, si quem alium. Duos aureos florenos accepi quoque, pro quibus expectabis monochromatum aliquot folia aut libellulum, simul per occasionem licuerit. Nutius¹ ante mensem se misisse quatuor exemplaria Biesii affirmat. Quod si verum est, ante has literas ea apud vos fore non dubito. Quidam bibliopola Viennensis Gallus, Francofurtum ad nundinas profecturus, Theatri nostri sibi exemplaria comparabit, ut hic ex Plantino intellexi. Ex quo non opus est, ut hinc Viennam mittantur, judico. Precium hic est quinque coronatorum aureorum, non compactis. Effigiem tuam nondum expressam ex Plantino intelligo. Nihil hic novorum, praeter bellica. Dux Harleum tandem ditione cepit; item Geusii locum munitissimum, Rammekens appellatum, in Walachria Selandiae insula situm, ubi rex praesidium continue alebat. Numquamne Deus dabit et his quoque finem? Vale, vir ornatissime. Antverpiae, 8 augusti 1573.

Tuae humanitati addict.,

ABRAH. ORTELIUS.

¹ Typographus Antwerpiae.

VI.

Eidem, Viennae in aula.

S. P. Misi ante quindecim plus minus dies effigiem tuam a Gallaeo nostro caelatam : non dubito, quin eam receperis. Postea accepi eamdem a Rota (cujus nomen ex editis ab eo monochromatis mihi innotuit) calamo delineatam, ex qua Gallaei, si visum tibi fuerit, corrigi poterit : tuam de eo sententiam expectamus. Iisdem literis, quibus effigiem injeceram, significavi me Schufio tradidisse exemplar Theatri nostri et duo additamenta. Tua putato, nam me tibi debere, ingenue agnosco. Video enim te sedulo meo nomine laborare. De pecunia mihimittenda, conveni Schufium. Is respondit me eam per D. Nic. Rhedigerum, si modo ei significem, hic Antverpiae recipere posse. Si alio modo mavis, de monetarum specie non habeo quod dicam, ignarus quanti apud vos valeant nostre gallici aut anglici nummi. Itaque tuo arbitrio illud committo. Clusium jam apud vos esse, mihi persuadeo, eumque saluto. Nihil hic novorum, praeter solita mala. Expectamus novum Mediolano gubernatorem ; Albanum Hispaniam cogitare, rumor est. Vale, vir ornatissime.
VII novembris 1573.

Tui studiosus,

ABRAH. ORTELIUS.

VII.

Eidem, Viennae.

S. P. Salutat te Plantinus, miraturque Sambucum ea non accepisse quae tu desideras ; missa sunt enim Franco-

furdia. An adhuc in itinere sunt ? Plantinus tantum petebat, ut in imperio, ob aes alienum urbis Antverpiana, non retineretur. Ipse jam Augustini opera imprimit, et Ambrosii cogitat. Edidit etiam Dionysium Alexandrinum de situ orbis, una cum Musaei opusculo, ab Andrea Papio Gandensi verso. Clusii herbariae observationes sub praelo sunt. Alter herbarius, de quo an aliquid anglicanae editioni accesserit quaeris, nibili cum anglicano commune habebit : totus enim novus est. Habet nomenclatorem Junii ab ipso auctum. Antiquas lectiones Carrionis et quaedam Goropii Becani, ut sunt hispanica, gallica, francica et Hermogenem, Hieroglyphica, etc. Caeteri nostri librarii praeter theologica aut grammaticalia nihil somniant. Arias emaculatus Roma Hispaniam profectus est; illinc autem nondum scripsit. Homuncio (ut recte vocas), qui Biesum juniores ad nos deduxit, Coloniae eum uxore venit ; eum tamen profectionem meditari intelligo. Doleo tibi tam ineptum in locum Biesii successisse. Meliora tibi precatus sum, sed nunc frustra. Vale, vir ornatissime. Antverpiae, XII Kal. Jan. 1575.

Tuae hum. addictiss.,

ABRAH. ORTELIUS.

Ante aliquot menses misi imagines vitae Davidis, a Gallaeo expressas, de quibus quia nihil ex literis tuis intellexi hactenus, an ad manus tuas pervenerint, dubito.

VIII.

Eidem, Viennae.

S. P. Effigies tua ad manus meas pervenit, Domine ornatissime. Secundi libri effigierum fere spem abjicio; tam

multis atque aliis occupatum video Gallaeum. Quidquid ex Plantini typographia desideras, Francofurdia ex nondinis mittet, aut si aliam viam citius mittendi significaveris, gratum facies, et curabitus lubens et merito. At Augustini opera hoc anno vix prodibunt. Hieronymi opera (pro quibus Ambrosii male in meis literis scripseram), nondum sub praelo sunt. Ex Augustini nihil erit, nisi recenter cum manuscriptis collatum. Goropii delitescunt adhuc apud Plantinum. Eamdem Carrionis mentionem (de quo ambigie) facit Lipsius in suis antiquis lectionibus. Alias nihil ille hactenus edidit praeter fragmenta Sallustii et Valerium Flaccum castigatum. Ariam Montanum nunc puto in Hispanico itinere esse. Si regis venia poterit, ad nos redibit; lubentius enim hic, quam in patria se vitam degere, semper mihi confessus est. De Speculo nihil habeo, sed quia hic ex nostra aula prorsus rejectum sit, et Caesaris privilegium constrictum, editionem ejus in finem privilegii mei different, ni fallor. Vale, vir ornatissime. Antverpiae; non. febr. 1576.

Tuae Cels. addictiss.,

ABRAH. ORTELIUS.

IX.

Eidem, Vratislaviae.

S. P. Reversus ex Britannia cum essem circa nonas Junias, accepi literas tuas, ornatissime Crato, pridie Kal. julii. Injectas tuas curavi. Te bene valere, gaudeo; ego, laus superis, bene valeo. Diploma imperatorium nondum accepi, neque exegi; tutius id esse apud D. Herwartum

quam apud nos, ut tunc nostrae reipublicae status erat, ducens. Pro eo jam scribo. Meliore pavulum in loco jam apud nos sunt¹; pace enim sed admodum dubia fruimur. Salutat te Plantinus. Nondum absolvit Augustinum suum; at proxima nundinis eum promittit. Si vis ut exemplar ad te mittam, scribe qua via et per quos; dabo operam, ut habeas. Nova, quae scriberem, non habeo, praeterquam reginam Navarrai ad Eburonum thermas, vulgo *Spa* dictas (Tungrorum fons fortasse Plinio) contendere. Obviam it ei Joannes Austriacus Namurcum, de rebus fortassis vulgi ignotis consulturi. Deus omnia bene vertat. Quinque balenae (hactenus ipauditum) hac mense Scaldim adverso flumine intravere, quarum duae captae sunt, 50 pedum longitudinis singulæ: portenti aliquid iunquere creditur.

Vale. Antverpiæ, 12 juli 1577.

H. T. addicisse.,

ABRAH. ORTELIUS.

X.

Eidem, Praegae in Aula.

P. S. Fuit apud me cum tuis literis D. Princius, et cuperbat mea uti opera in tuis picturis; ego me offerebam et illi et tibi merito. Postea eum non vidi: hinc enim discesit Coloniam. Inde ad me scripsit de eodem negotio. Quod rescripsi, tecum communicabit, ni fallor. An ad vos reversurus sit, nescio. Quid agi in hoc negotio, quemadmodum in caeteris praestare potero, factum puta. Plantinus jam dedit volumen historiae Genuensium, Petro

¹ Decet vox res.

Bizarro auctore. Carmina quaedam Lernutii, et alia quae in catalogo suae officinae, qui sub praelo est, legentur. Gemmam suum obiisse diem intellixisti: eum secutus est Brugelius et alii docti viri multi, qui Lovanii peste nobis abrepli sunt. Harum belgicarum aerumnarum quis finis? Pacem audio, sed non video: neque honum video, qui eam sperare audet, nisi fortasse ipso bello acerbiorem. Ego sati prospera valetudine et fortuna (laus Deo O. M.) utor. Tibi, quia ab aula abesse non poteris, ut omnia bene sint, opto. Antverpiae, VIII martii 1579.

Tuus totus,

ABRAH. ORTELIUS.

Plantinus officiosissime te salutat. Infra paucos menses quasdam novas tabulas evulgabo, quas tum quoque ad te curabo. Addenda erunt Theatro.

XI.

Eidem, Praegae in aula.

S. P. Ante aliquot menses, ut scripsi, comparaveram tibi jussu Princii aliquot telas¹: sed diuturnum ejus silentium cogerat me eas ipsas mercatori reddere, cum mihi inutiles videbam, et ille lubenter eas resumebat. Alias septem itaque nunc emi, tradidique Danieli Rindflegch. Picturae non sunt vulgares; habent enim elegantioris notae quamplurimum. Rarae sunt et perspectivae, ut vulgus pictorum vocat. Viginti duobus nostratisbus in eas impendi. Gaudeo additamenta Theatri nostri ad manus tuas perve-

¹ *Tabulas forte.*

nisse : hoc enim ex D. Monavii literis intelligo. Si aliis in rebus tibi gratificari potero , gratum erit. Salutat te Plantinus. Nihil novi : bellum vetus est; Iliadis enim triennio superat. De pace nescio. Matrimonium Alenzonii, de quo cum Angliae regina agitur, incolarum animos valde anxios reddit. Verentur enim, introductis Valesiis, religionis in papisticam mutationem. Quidam anonymous nobilis Londini libellum ediderat, quo hoc connubium, ob religionis differentiam, illicitum et Valesiae familiae nequitiam regno noxiun et perniciosum dicere voluit; sed captus uno eum eo, qui illi a manibus in scribendo fuit, secretario comitis a Beelfort, amputata dextra, poenas luit. Impressor in carcere adhuc detinetur. Vale, vir clarissime. Antverpiæ, VIII decemb. 1579.

ABRAH. ORTELIUS, *ex officio tuus.*

XII.

Eidem, Vratislaviae.

S. P. Quae 12 maii scripseras, accepi; quas ad Langue-tum iis injeceras, apud me detineo in ejus ex Gallia redditum. Hoc enim a me petierat, cum hinc ante duas aut tres septimanas discederet. Auro tuo mihi satisfactum non semel significavi, imo aliquid superfuisse. Quo nomine Danubii delineatio est, tibi missam aestimavi. Telas¹ tuas jam diu in itinere fuisse non dubito, ita enim mihi affirmat Rendfleschius; Diu tamen apud eumdem haesisse, ante hac memini me scripsisse, quod forma non omnibus

¹ *Tabulas?*

sarcinis, quas hinc Vratislaviam mittebat, convenit. Diu in itinere esse, mirandum non est, his praesertim tumul-tuum importunitatibus. Aulea ex viridi variegato hic apud nos hodie non praestant. Locus enim in Flandria, ubi fieri solent, bellicis furoribus desertus est ab operariis aive textoribus. Plantinus non reote valet, et te salutat. Antverpiae, IV junii 1580.

ORTELIUS, tuus ut suus.

XIII.

Eidem, Pragae in aula.

S. P. Literas tuas, 18 aprilis scriptas, accepi, ornatisime Crato. Legi eas Plantino, cui a me gratias tuo nomine agi cupiebas. Is, nisi molestum esset, cuperet privilegium, illi ab imperatore Maximiliano concessum, ab Rudolpho imperatore instaurari: tua in eo opera lubenter utetur. In Germania enim suis libris insidiari conqueritur. Notas sive commentaria Lipsii in Tacitum seorsim excudit, sed post nundinas, si viam ostenderes qua ad te mitti possent, ad te curabit. De appendice ad Theatrum meum, fabula: nihil enim edidi post alterum additamentum ad te missum. Pretium picturae Caroli V trium plus minus coronatorum aut quatuor dalerorum erit. Si cupias, formam tabulae aut magnitudinem, quaero, quae depingi desideras, curabo, et una cum monochromatis meo judicio tibi selectis mittam. Languetus apud nos est, eique salutationem tuam impertivi; sed literas, quas ad illum nudius octavius dedisse scribis, nondum ad manus suas pervenisse aiebat. Lipsius apud suos est in academia Lugdunensi. Clusius in

Anglia hactenus haeret. Sunt qui tragedias Lipsio (inter quos Princius Coloniae est) moliuntur, quod nempe in satyram suam scripserit, Phoebum non amplius poëtas sed Caesarem facere. Ridiculum. Vale, magnifice vir.
Antverpiae, X maii 1581.

ABRAH. ORTELIUS.

XIV.

Eidem, Vratislaviae.

S. P. Ornatisse Crato. Ex tuis literis te Novum Testamentum a B. Aria Montano editum (haec tua sunt verba) desiderare intelligo. Quale hoc sit, nescimus. Edidit dictus Montanus commentaria in quatnor Evangelistas, in-4^a forma, ut loquuntur bibliopala, apud Plantinum excusa: si ea sint, quae velis, mittam. Clarorum virorum effigies adhuc sub Gallaei manu premuntur; propediem eas promittit; quamprimum autem prodierint, eas ad te curabo. Archiducis Mathiae effigies scio me aliquando misisse; Alenconii nostri ducis in his quoque injectam. Dodonaei Herbarius lucem accipit ex Plantini officina. Salutant te Plantinus et ego. Vale. Antverpiae, XVI octobris 1582.

ABRAH. ORTELIUS, *tui studiosiss. merito.*

XV.

Eidem, Vratislaviae.

S. P. Accepi literas tuas querelarum plenas, sed nihil ad me pertinentium; itaque ad eas, ut respondeam, minime

opus esse reor. De monochromatis ex libello Benedicti Aiae me mones ; seio te alias ejusmodi obiter petiisse, sed non indicasse quid ex monochromatis (quorum innumera-bilis apud nos est multitudo) praecipue desiderabas. Quis Aiae libellus fuerit, modo non memini. Si denuo per literas, quid velis, indicaveris, officio meo tibi deesse nolo : per me ea accipies. Gallaeus claros suos viros se daturum cras et cras dicit semper, sed nescio cras illud. Versus tuos apud me reservabo in eorum editionem. Plantinus hinc migravit Lugdunum Batavorum. Habet ibidem sub praelo Lipsii *de Constantia*. Dodonaeus ibidem medi-cinam legit. Surdo mihi narratur fabula de Vallesio , cuius ne nomen quidem novi. Plantino ista scribenda erunt, sed per me non fiet. Vale, vir ornatissime. Antverpiae , XXV
julii 1583.

Tuus, ut hactenus,

ABRA. ORTELIUS.

XVI¹.

Eidem , Viennae vel in Aula imperatoris.

S. P. Stirpium historia Lobelii , neque adversaria, quae scribis contineri eo indice, quem Willerus singulis nundinis Francofodiensibus evulgare solet, nondum ex Plantini praelo exivere : tituli tantum Francofurti prostitere. Ex iis sibi Willerus nomina sumpsit. Solet sic Plantinus, etsi libri non essent ad colum perducti , titulos seu spe-cimina nundinis exhibere, ut innotescerent; quamprimum prodierint, Plantinus ad te curabit. Petiit ut hoc

¹ Quae sequuntur epistolae, nullam anni notam in autographis habent

tibi significem, et suo nomine te officiose salutarem. Montanum puto nunc Roma *in Hispaniam* profectum. Pax hactenus in Gallia manet. Rumor est Alenconii ducem, regis fratrem, Orangiae filiam ambire. Hoc Anglos tortquet, quibus Gallorum cum principe confoederatio valde suspecta est, et anxios terret. Hollandi, Zelandique tamen (quod nos maxime veremur) aut foedus cum Gallis inibunt, aut Angliae reginam protectricem habebunt. Petierunt hoc a regina, et ipsa renuit tunc; nunc haec cum Huguenottis societas eam valde suspectam tenet. Nos in obsidione Siriczeae a festo D. Michaëlis hactenus sumus¹. Quod fiet, incertum. Deus misereatur nostri.

Nisi magno constaret, ego futuris meis tabulis (de non-nullis enim in futurum cogito) velim ab imperatoria maiestate generale privilegium, ne cogerer ob singulas ad aulam recurrere, et amicis molestus esse. Tuum de eo expecto eonsilium. Video nonnullos tale privilegium per Sambucum impetrasse, ut Birckmannus et Plantinus. Tali et ego meis tantum laboribus non aliorum, ut illi, munatum *me* cuperem. Vale, domine ornatissime. Antverpiae, VIII kal. julias.

Tui studiosissimus,
ABRAH. ORTELIUS.

XVII.

Eidem, Viennae in aula.

S. P. Octiduum est, clarissime vir, quod ex literis tuis te velle unum exemplar Theatri et duo additamenta intel-

¹ Ziriczaea, ab Hispanis obsessa, nono post mense fame domita, sededit anno 1575.

lexerim, eaque tradidi tuo nomine Joanni Schufio. Is post diem aut alterum illa itineri committet, ad Redigeros Vratislaviam. Hodie autem audio me ab imperatore honorari munere quodam. An hoc ejus majestatis liberalitati, vel tuae erga me studiosae benevolentiae adscribam, dubito; sed utrique, si mavis. Unum fateor et ingenuo agnoscō, me tibi devinctissimum esse. Vides hic tuam effigiem. Prima est earum quae parantur secundo volumini: vix potui persuadere Gallaeo sculptori (mihi tamen amico) ut hanc etiam tuis annexeret, eo quod sciebat inter Plantini futuram. Gallaeus ipsem sculpsit: hoc nostrae amicitiae tribuit; pleraque enim pars a pueris discipulis caelabitur. Forte non nihil in ea desiderabis; si praesens adfuisses, non dubito vivum melius referret: sed ipse de his. Veteribus nostris malis impliciti adhuc haeremus. Classis nostra magnam cladem a Geusiis accepit in sinu maris Germanici, *Suertes*¹, vulgariter dicto. Praefectus classis, Bossu nomine, captus est². Plerique ex nobilibus desiderantur. Novum gubernatorem Mediolano in dies expectamus. Medina Coeli Hispaniam abiit. Vale, vir optime. Saluto Sambucum. Jam Clusium apud vos esse non dubite. Literas tuas Biesio curavi. Vale denuo.

ABRAH. ORTELIUS, *tuus totus.*

¹ *Zuider-Zee.*

² Scripta est haec epistola anno 1573, eo enim anno Maximilianus Bos-suvius navalii praelio a Foederatis victus est.

XVIII.

Eidem, Viennae in aula.

S. P. Gratum fuit, ornatissime Grato, allata ad vos Theatra. Quod in compacturam (ut vocant) Theatri pro maiestate caesarea erogabitur, puto aequum esse, ut a me solvatur, eaque indicabis. Quod duos aureos florenos nostros acceperim, te jam diu ex meis intellexisse non dubito. Ex his coronatus redundabat, pro quo misi libellum monochromaticum qui inscribitur : *Divinarum nuptiarum conventa et aeta*. Tanto ille constat. Adjeci ei libellulum continentem deorum, dearumque capita, munusculum levidense, ut vocant, sed animi grati indicium; pro tua humanitate boni consules. Accipies per D. Jacobum Redigerum ; ad eum enim una cum suis ante duas tresve septimanas missa sunt hinc per Joannem Schusium. Clusius hinc Lovanium, Bruxellasque inde recta ad vos ante decem dies hinc eques abiit. Doct. Brugelium non novi, ejus tamen eruditionem quidam meus hic amicus praedicat, Petrus Coudebergius, pharmacopaeus, sed vir doctus. Monoculum eum intelligo. Percunctatus sum per alios de ejus voluntate; significat se quoque accersiri in locum Vesalii apud Hispaniae regem, se tamen ei nondum adixisse. Malle fortasse imperatoriae majestati se tribuere. An stipendium illud caesareum quoque post ejus majestatis obitum suis continuatur? Vale, vir optime. Antverpiae, XII kal. octobris ¹.

Obiit Trajecti ad Mosam noster doctor Becanus in fine mensis augusti; Carolus Langius, item Leodii die 6 julii.

ABBAH. ORTELIUS, *totus tuus.*

¹ Anno 1573, eo enim anno defuncti sunt Becanus et Langius.

XIX.

Eidem , Vratislaviae.

S. P. Domum reversus circa idus decemb. (in Flandriam enim , a genio meo bono monitus , aliquot dies ante urbis nostrae direptionem me contuleram) binas tuas , vir ornatissime , reperi literas , ex quarum altera intelligo te mihi privilegium ab imperatore obtinuisse. Habeo gratias et agam , si potero. Si pretium scripseris , pecuniam quoque mittam. Laudo sententiam Cancellarii , quem ais dixisse , excitandam esse hominum industriad , non cohibendam. Si hoc excitare sit , aliorum tantum labori inhiantium non coercere legibus¹ , sed tamen quodlibet a quovis excogitatum aut inventum impune imitando licentiam non inhibere. Privilegii diploma a D. Joanne Henrico Herwarlo expectabo. Plantinum tuo nomine salutare non potui; Parisios enim profectus est , sed post urbis cladem , quam illi ultra decem millia florenorum constisisse credo ; magno enim a milite redimenda fuere , quae non abstulit , pretiosiora namque primum direpta ablataque ab eodem milite erant. Quod ad me attinet pauca amisi; reliqua bis terve amici mei redemere trecentis plus minus coronatis. Plantini praela fere omnia modo in ocio torpent , duobus exceptis , quae D. Augustino operam hactenus navant ; nondum autem absolutus est. Pretium ejus nondum ad amussim constituere possunt ; de viginti daleris tamen cogitant. Epistolae quaedam monasterio Gemblacensi , in

¹ Videtur aliiquid deesse , forte *industriam*.

Gallo-Brabantia sito , hactenus non excusae opus hoc exor-
nabunt , eaeque ejusdem Augustini . Vale , vir magnifice .
Antverpiæ , X kal. decembris ¹.

ABRAH. ORTELIUS , *tuae human. addictiss.*

XX.

Eidem , Viennæ in aula.

S. P. Binas tuas literas accepi , vir ornatissime , quac
Plantini negotia fere continebant , eumque tuo nomine
salutem impertii , idemque resalutat . Ex nundinis quaedam
ex sua officina ad te curabit ; cum iisdem munuscum
habebis , quod boni consules : opus novum Goltzii est ,
numismata Siciliae scilicet et Magnæ Graeciae . Dicis Gem-
mam nihil ad te scribere ; causam nescio , nam mihi cum
illo necessitudo non est . Decem plus minus anni sunt ,
quod Lovanii non fuerim , neque eum hic Antverpiæ
unquam vidi . Montanus adhuc Romæ haeret ; hispanicam
profectionem , quantum potest , moratur , et si fieri potest ,
omnino vitabit , quamvis saepius accersitus : mallet aulicis
honoribus aut potius oneribus liberari , et apud nos redire
et , ut scribit , vitam finire . Salutavit te aliquando per me .
His novissimis haec ad me : « Ego vero scio me nusquam
» illa vitae simplicitate usurum , quam opto , praeterquam
» isthic apud vos . Oro a te atque obsecro , mi Orteli , ut
» ubicumque me esse intellexeris , tuum omnino , tuique

¹ Scripta videtur anno 1576 , quo spoliata fuit civitas . Vide Diercxens ,
Antverpia Christo nascens et crescens , tom. V , p. 243.

» semper memorem esse, persuadeas, amicisque omnibus
» idem de meo erga illos animo affirmes, non solum vero
» nostratisbus, sed Germanis superioribus ut Cratoni,
» Sambuco et caeteris. » Haec tibi, ut hominis animum
videres, et erga ejusmodi homines quibus non *omnino*
convenit iis in rebus (scis quid velim) quibus hodie coe-
lum, ut ne quid pejus dicam, terrae miscetur. Vale. Ant-
verpiae, VII kal. aprilis.

ABRAH. ORTELIUS, *tibi devinctiss.*

— · · · —

GERARDI MERCATORIS ET ARIAЕ MONTANI

AD JOANNEM CRATONEM EPISTOLAE.

I.

Clarissimo amplissimoque viro D. Johanni Cratoni a Craftheim, C. Majestatis consiliario, domino suo reverenter observando.

Sextus jam annus est, clarissime Domine, ex quo amplissima tua dignitas meam exilitatem, ignotus ignotum, quam amantissimis literis tuis honorare dignata est, cum varios de nostris studiis sermones tecum Posonii contulisset Joannes a Linda, Brabantus. Ejus erga vilem atque immeritum benevolentiae memoria adhuc integra apud me manet, tametsi, ut aequum erat, ego tum non rescripseric. Fui quidem ea voluntate, et veluti accinctus ut prima opportunitate id facerem; verum quando ita variis multisque occupationibus perpetuo ohruor, ut otium cum opportunitate rarissime coincidat, et paulo post in graves incidissem aegritudines, longa dilatione factum est, ut Ptolemaici operis consummationem expectandam constituerim, quo una cum mei vicissim erga tuam amplitudinem animi obsequium et gratitudinem novo munusculo testatam facerem, et sponte oblatam amiciliam ac beneficiandi studium symbolo quopiam aliquatenus promerer. Et speravi quidem a triennio fore in singula semestria

illud opus absolvere, sed plus in recessu difficultatis et laborum latuit quam antea perspicere poteram. Tandem Dei beneficio colophonem addidi, et priusquam a caesarea majestate privilegium nactus essem (quod negligentius id sollicitaretur), in lucem dare coactus fui; quo nunc accepto et appresso, quum juxta ejus praescriptum tria ut minimum exemplaria ad cancellariam imperatoriam mittere teneat, simul tuae amplitudini hoc qualecumque opus mittere volui, quo gratissimum mihi et veneranter colendum amplitudinis tuae spontaneum et propensissimum erga me studium contestarer. Bene vale, vir clarissime, et me quaeso tuo patrocinio commendatum habe. Duisburgi 23 oct. 1578. Clariss. amplit. tuae reverenter addictus,
GERARDUS MERCATOR.

II.

Johanni Cratoni Benedictus Arias Montanus S. D.

Ante menses aliquot literas a te accepi et doctissimas et mihi suavissimas, quibus animum tuum candidissimum in mei amore confirmatum cum intelligerem, non potui non magnopere mihi ipsi gratulari, qui tantorum amicorum accessione quotidie opulentior fiam. Ego enim has veras et mihi oportunissimas opes esse definivi, amicorum piorum et doctorum, hoc est, tui similium copiam, quorum consiliis et beneficiis et doctior et melior fiam. Deinde vero post unum aut alterum mensem munus ex te profectum, ab Abrahamo¹ nostro habui; quo nihil mihi contingere gratius potuit, utpote qui post sacrarum disci-

¹ Abraham Ortelius.

plinarum studia, quibus maxime officior, ad naturae et artium cognitionem impetu quodam vehementi rapior; et earum rerum omnium, quae sub coelo gignuuntur, visendarum cupiditate incredibili teneor. Quam ob rem in museolo meo....¹, hoc est, verae naturae, pyramidem erexi, quam rerum omnium generibus, quae attingere mihi amicorum beneficio potuerim, instruendam decrevi, tum ad meam utilitatem, qui praeter cognitionis voluptatem usum etiam capio non vulgarem ad sacrorum librorum arcana explicanda, id quod *Joseph* a nobis inscriptus liber indicat; tum etiam ad eorum amicorum, qui hujusmodi res mihi miserunt, monumentum, namque singulorum nomina una cum rerum ipsarum rationibus descripta a me sunt. Magnam igitur tibi habeo gratiam, qui non visis antea mihi generibus, nostram imo communem omnium amicorum pyramidem locupletaveris; et magnam etiam spem capio hujusmodi divitiarum per te mihi amplificandarum: quam ob rem et te inverecundius audeo etiam rogare atque per communem eruditionis amorem obsecrare, ut ea mittas mihi, quae inclusio indiculo significantur. Cupio autem rerum omnium patriam, regionem et nomina et usus, sive vires et efficientias, sive veras et certas, sive vulgi opinione constantes doceri; vel si non omnia haec, ea saltem quae commode contingere possunt, et amicorum opera, mea vel potius communi et publica causa curari percupio. Ita tamen ut mea haec cupiditas nulli mortalium molestiam pariat. Spero etiam me aliqua ex parte adjutum a Carolo Clusio, quem audio hoc tempore Caesaris nostri optimi principis jussu Germaniae regiones omnes nunc lustrare atque hujusmodi res disquirere. Idem

¹ Vox aliqua desideratur.

etiam a Sambuco viro doctissimo expecto. Tu vero a me omnia, quae in te constare possent officia, certissime exspectare potes. Et quoniam scripta nostra placere tibi intelligo, non tantum propter eruditionem, quam praestantem in illis non profitcor, quam propter pietatem, quam cum primis colere ipse cupio, non veritus sum exiguum libellum hunc, a me nuperrime descriptum, tibi mittere, cui *Dictatum christianum* titulum feci, alterius partis continentem rationes summas quas in omnium theologicorum studiorum argumento sequor et sequar, namque alteram partem, quae ad beneficium Dei refertur, ut ad summam redigere possem, numquam mihi otium commoditasve contigit hactenus: hanc vero ut apprime hominibus piis necessariam prius descripsi; alteram cum Deus voluerit, mihiique suggesserit, describam. Vale et me ama, manusculique exiguitatem boni consule. Antverpiae XII, cal. febr. 1575.

INDEX.

| | | | | | | | | | |
|--|---|---|---|---|---|---|---|----------------|---|
| Monitum editoris. | . | . | . | . | . | . | . | p. | 1 |
| Carolus Clusius Thomae Redigero | . | . | . | . | . | . | . | 1 – 25 | |
| Carolus Clusius Joanni Cratoni | . | . | . | . | . | . | . | 25 – 68 | |
| Rembertus Dodonaeus eidem | . | . | . | . | . | . | . | 69 | |
| Abraham Ortelius eidem | . | . | . | . | . | . | . | 77 | |
| Gerardus Mercator eidem | . | . | . | . | . | . | . | 99 | |
| Benedictus Arias Montanus eidem | . | . | . | . | . | . | . | 102 | |
